Varia

Pietatis Exercitia erga Sacratissimum Cor Jesu

N. Nilles S. J.

244.53
N598

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

Varia

Pietatis Exercitia

erga

Sacratissimum Cor Jesu

a

Nicolao Nilles S. J.

collecta

Cum brevi instructione de objecto Cultus SS. Cordis, paucisque additis denuo edita

ab

Angelo Barbaria S. J.

ALMA COLLEGE LIBRARY Alma, California
244.53
N59

Oeniponte.
Typis et Sumptibus Feliciani Rauch.
1911.

47804

Imprimatur.

Ut opusculum, cui titulus „Varia pietatis exercitia erga Sacratissimum Cor Jesu“ (ed. a P. Angelo Barbaria S. J.) typis vulgetur, hisce ex parte nostra permittimus.

Viennae, die 23. Februarii 1911.

Joannes Bapt. Wimmer,
Praep. Prov. Austriae Soc. Jesu.

Nr. 3577.



Imprimatur.

Brixinae, d. 30. Maj. 1911.

Friedle, Vic. gen

Praemonitum.

Auctor operis „De festis utriusque ss. Cordis“, P. Nicolaus Nilles S. J. († 31. Jan. 1907), ex eodem opere *„varia pietatis exercitia erga Sacratissimum Cor Jesu cum idoneis instructionibus in usum juniorum clericorum“* exscripserat. Parvus libellus ita placuit, ut multis quaerentibus pluries repetitis editionibus satisfaciendum fuerit.

Cum autem iterum omnia exemplaria ultimae (quintae) editionis vendita sint, de nova editione curanda actum est.

Hinc factum est, ut „varia pietatis exercitia“ a laudato auctore collecta, paucis additis, iterum in lucem prodeant. Loco autem instructionis ex opere citato desumptae, aliam ex recentiore quodam opere ad breve compendium redactam substituimus.

Convenit autem, ut de hoc opere[1]) aliqua innuantur. Auctor eius est P. Thomas Lempl

[1]) Das Herz Jesu. Eine Studie über die verschiedenen Bedeutungen des Wortes „Herz“ und über den Gegenstand der kirchlichen Herz-Jesu-Andacht. Verfasst von Thomas Lempl, Priester der Gesellschaft Jesu, herausgegeben von Hieronymus

S. J., qui 20. Aprilis 1908 ad St. Andreae in Carintia obiit. Inter ejus scripta longior dissertatio de objecto cultus ss. Cordis inventa est, quae tum propter soliditatem doctrinae tum propter acutum argumentandi modum notum operis theologiae moralis auctorem P. Noldin ad eam in lucem edendam movit, id quod eo pluris faciendum est quod etiam P. Noldin ipse auctor est libelli de cultu ss. Cordis, qui multum placuit multosque emptores invenit. Improbandum igitur non videtur, si libello precum brevem instructionem praemittentes eam ex opere tantopere approbato desumpsimus, nisi forte temerarius est conatus paucis paginis librum ducentarum quadraginta paginarum contrahendi. Sed brevi hoc compendio nullo modo omnia referre intendebamus quae auctor laudatus tam studiose composuit: satis nobis fuit ea innuisse quae in tota dissertatione sunt quasi fundamentum, sperantes fore ut ipsum opus laudatum magis divulgatum uberiores afferat fructus.

Noldin, Priester der Gesellschaft Jesu. Brixen 1909. Verlag der Buchhandlung der Verlagsanstalt Tyrolia, vormals Pressvereins-Buchhandlung. 8°. 241 Seiten.

Prima pars.

De objecto cultus ss. Cordis Jesu.

A. De variis significationibus termini „cor“.

I. Cor hominis est tum organum physicum tum subjectum vitae moralis internae.

Primario ac maxime proprio sensu vocabulum *Cordis* organum illud designat quod est centrum et principium motus sanguinis in corpore animali. Secundario sed item proprio sensu illud designat quod in homine subjectum est totius *vitae ethicae* internae ipsius. In corde hoc et per ipsum, vel saltem per partem ipsius, motiones tum naturales tum liberae voluntatis efficiuntur: amor, odium, desiderium, fuga, spes, timor, gaudium, dolor, ira; in eodem etiam proposita de agendis vel omittendis efformantur; sed et cogitationes omnes, sine quibus actus voluntatis existere nequeunt, vel quae necessario ex iisdem sequuntur, simul cum habitibus et propensionibus variis in eodem corde tamquam in subjecto inveniuntur. Illi vero cogitandi ac volendi actus, qui eo nexu cum operationibus externis conjunguntur, ut mora-

liter unam actionem externam constituant, *extra* cor esse intelliguntur; quamvis enim etiam actiones externae ex internis affectibus cordis tamquam ex fonte emanent, non tamen ab ipso perfici concipiuntur.

Omnium loquendi modus homines cordi nonnisi eas operationes adscribere ostendit, quae ad vitam internam, et quidem ad solam *ethicam* vitam internam pertinent; non excluduntur tamen et ipsae cogitationes, dummodo ad eandem vitam ethicam internam pertineant.

Fatendum est inde a saeculo XIV. e Gallia morem invectum esse vocabulum cordis ad voluntatis dumtaxat affectiones designandas usurpandi, ita ut termini *mens* et *cor* pro intellectu et voluntate tamquam potentiis adaequate distinctis passim adhibeantur; imo significatio termini cordis paulatim ita restricta est ut nonnisi affectiones appetitus sensitivi ipso denotentur.

Hinc recentiores frequentissimi sunt in distinguendis tribus potentiis, quas terminis *intellectus, voluntatis, cordis* designant.

Auctor operis, ex quo haec desumpta sunt, multis ac optimis argumentis hunc loquendi modum nec primitivum nec naturali omnium sentiendi modo consonum esse evincit. Abundant enim textus tum ex s. Scriptura tum ex ss. Patrum operibus desumpti, qui distinctiones illas sive inter *mentem* et *cor*, sive inter *intel-*

lectum, *voluntatem* et *cor*, antiquitus minime exstitisse clare ostendunt. Cum enim fere mille dicta in s. Scriptura occurrant, in quibus terminus *cordis* invenitur, in maxima eorum parte, sc. in nongentis circiter et quinquaginta, ea significatione adhibetur, quae antea indicata est, nempe ad denotandum principium et subjectum totius vitae ethicae internae hominis. Cor enim, quod in textibus illis describitur, non solum variis affectibus movetur sed etiam libertate praeditum legem diligit vel ab ipsa se avertit, est aut bonum, optimum, rectum, perfectum, aut malum, nequam, pravum, perversum, ut permulta exempla a laudato auctore relata ostendunt. Imo etiam ipsius intellectus operationes eidem cordi frequentissime adscribuntur; sic enim ait e. g. Prov. 2, 2: „inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam", vel Is. 6, 10: „Excaeca cor populi hujus et aures ejus aggrava"; vel Marc. 3, 5 „Et circumspiciens eos cum ira, contristatus super caecitate cordis eorum dicit homini: „Extende manum tuam"; vel Act. 28, 27: „Incrassatum est enim cor populi huius, et auribus graviter audierunt, et oculos suos compresserunt, ne forte videant, oculis et auribus audiant et corde intelligant, et convertantur et sanem eos". In quibus ut et in multis aliis textibus cor hominis tamquam principium intellectionis concipitur. Sic teste S. Paulo „corde creditur ad iusti-

tiam“ (Rom. 10, 10). Petrus vero innuit futurum esse ut oriatur lucifer in cordibus nostris (2 Pet. 1, 19). Idem cor est subjectum virtutum moralium intellectus: „Et non dedit vobis Dominus cor intelligens“ (Deut. 29, 4); „Si intraverit sapientia cor tuum“ (Prov. 2, 10); „In corde prudentis requiescit sapientia“ (ib. 14, 33). Cordis cogitationes quoque non raro referuntur: „Cecidit Abraham in faciem unam, et risit, dicens in corde suo: putasne centenario nascetur filius“ (Gen. 17, 17); „Dixitque [Esau] in corde suo: Venient dies luctus patris mei, et occidam Jacob fratrem meum“ (Gen. 27, 41). Demum et memoriae actus eidem cordi adscribuntur, unde et vocabula *recordari, recordatio* derivari manifestum est. Sed haec tantum innuisse sufficiat. Qui copiam textuum similium desiderat ipsum opus citatum consulat, nec difficulter thesi auctoris assentiet, qui principio logico supposito, secundum quod unum vocabulum generatim unam tantum ideam exprimit, termino *cordis* totum subjectum vitae ethicae internae hominis designari contendit non solum quando *cor* pro *anima* supponitur, sed in illis quoque locis ubi eidem aut solae cogitationes, aut solae appetitiones adscribuntur.

Quod ex comparatis textibus s. Scripturae manifestum est, idem tum ss. Patrum tum theologorum medii aevi dictis confirmatur; sed

longum est abundantiam testimoniorum referre quae in opere citato inveniuntur.

Recentior, ut innuimus, est usus contradistinguendi inter *mentem* et *cor*, inter *intellectum* et *voluntatem* et *cor*. Qui tamen usus ex Gallia proveniens, utpote naturali hominum cogitandi modo non consonus, ab antiquo receptum cogitandi modum minime evacuare valuit; ideoque et nostris temporibus multa inveniuntur dicta in quibus cordi non solum liberae voluntatis sed et ipsius intellectus operationes ad vitam moralem pertinentes adscribuntur. Ex quibus omnibus apparet termino cordis aliquod homini omnino internum designari, quod principium habetur actionum moralium internarum.

Nec dicendum est in omnibus dictis, in quibus cor pro principio interno actionum moralium supponitur, tropicum esse loquendi modum. Tropi enim non passim adhibentur. Aut enim ob defectum termini proprii ad rem aliquam designandam (*radices* montium, *caput* libri) aut ad elegantiam sermonis augendam (iuventus = flos aetatis) usurpantur. Neutra autem harum rationum tam frequentem usum termini cordis ad aliquid spirituale designandum commendat. Anima enim cum potentiis suis propria denominatione non caret (anima, animus, spiritus); elegantia vero sermonis, si aliquem troporum usum commendat imo et exigit, non

tamen ita abundantem permittit ut *passim* terminus tropicus pro proprio adhibeatur.

Cum itaque cor carneum, quod centrum est motus sanguinis, termino *cordis* tamquam proprio designari inter omnes constet, ex hucusque dictis autem appareat etiam illud morale principium homini internum termino cordis ut proprio, — minime vero translato — denotari: recte infertur unum idemque vocabulum non quidem duas ideas adaequate distinctas denotare — cor enim carneum pars aliqua cordis illius moralis et simul organici, esse concipitur — sed modo strictiorem modo latiorem, utramque vero propriam, significationem habere. Quod grammaticis non est novum. *Manus* enim e. g. modo significat extremam illam partem bracchii notissimam, modo eandem partem simul cum bracchio ut est in phrasi *manus extendere; pes* similiter modo extremam tantum partem cruris modo eandem simul cum crure denotat, ut in sententia *pedibus iter facere.* Idem habes in verbo *securis* quod modo partem tantum ferream, modo eandem simul cum manubrio supponit. *Fenestra, porta* modo solam aperturam muri modo eandem simul cum valvis designat; alii alia invenerint. Nemo autem dicet manum simul cum bracchio per solum terminum manus designatam tropicam esse locutionem; nec tropus est si quis pedem et crus simpliciter pedem, ferrum et manubrium

securim, fenestram cum valvis fenestram simpliciter nominat. Tum sola manus, tum eadem cum bracchio proprie, non tropice, *manus* nominatur; tropus enim nullus est in sententia illa *manus extendere.*

Cum autem unus terminus *unum* tantum conceptum exprimat, ideas existere dicendum est quae amplitudinem quandam contineant, adeoque modo maiorem modo minorem comprehensionem habeant, ita tamen ut idea ipsa proprie et adaequate non mutetur. Sic conceptus seu idea manus modo solam manum, modo eandem simul cum bracchio comprehendit; sic exempla superius allata et multa alia quae quaerenti facile occurrunt.

Idem dicendum est de *corde.* Quandoque enim organum physicum medio in pectore existens cordis idea concipitur, quandoque (et hoc forte frequentius) eadem quidem sed magis extensa idea cordis totum principium morale internum hominis, ad quod etiam cor physicum pertinere intelligimus, concipere consuevimus.

Ne longiores simus quam ad propositum nostrum opus est, ab argumentis referendis abstinemus, quae praelaudatus auctor abunde ministravit. Caeterum argumenta alia non sunt quam quae ex diligenti et accurata observatione modi loquendi et cogitandi hominum nascuntur. Cum enim de ideis ac vocabulis fit inquisitio, argumenta a priori nihil efficiunt:

ad modum cogitandi et loquendi est attendendum.

Hisce omnibus, quae hic multis omissis nonnisi brevissime indicata sunt, auctor operis laudati indubitanter evincit quod initio innuimus, ideam cordis modo arctiorem modo ampliorem comprehensionem habere, ideoque esse ideam *propriam* tum quando ad organum physicum tum quando ad principium morale internum hominis refertur, quamvis ibi arctior sit, hic magis extensa. Quae est thesis fundamentalis operis, illis se opponens quae audire consueti sumus internum hominis nonnisi metaphorice *cor* nominari.

2. Cor symbolicum.

a. Symbolum in genere.

Restat ut de symbolismo cordis aliqua dicantur ad ea quae dicta sunt magis confirmanda.

Symbolum est res vel actio quae ad eum finem adhibetur seu efficitur, ut sit signum alterius quod apte per eandem significatur. Sic ancora symbolum spei habetur; similiter actiones signa vel symbola rerum esse possunt, ut cum Pilatus manus lavit ad innocentiam suam ostendendam, vel si claves traduntur ad possessionem domus translatam innuendam. Animadvertendum est symbola non esse signa naturalia — nemo enim fumum dicit symbolum

ignis, pallorem vultus symbolum morbi — sed signa arbitraria ab hominibus positive instituta. Proinde evenit, ut eadem res modo symbolum, modo absque ulla symbolica significatione inveniatur. Agnus in prato pascens non est symbolum; idem ab haebreis certis additis ceremoniis manducatus, idemque cum vexillo triumphali depictus symbolum est Christi.

Quamvis, ut dictum est, symbolum signum arbitrarium sit concedendum tamen est, vocabulum ipsum, si etymologice spectetur, aptum esse ad quamvis similitudinem vel figuram significandam; et reipsa non raro illas similitudines significat, quibus aliquid supersensibile innuere consuevimus. Sic haud raro lux symbolum boni, tenebrae symbolum mali dicuntur. Attamen claritatis causa probe distiguendum est inter *symbola proprie dicta* quae sunt signa arbitraria et *symbola improprie dicta* quae sunt similitudines seu figurae. Quamvis enim aptissime bonum cum luce, malum cum tenbris comparetur, unde et metaphorae perpulchrae originem ducunt (. . „Ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum“ 1. Petr. 2, 9.), tamen nemo lucem diei et tenebras noctis per motum solis sibi alternantes symbola veritatis et sanctitatis, erroris et peccati dicet. Ut lux symbolum evadat — supposita analogia cum bono et vero — positiva hominum institutione

opus est, quae minime necessaria est si mera fiat comparatio.

b. Cor, symbolum improprie dictum.

Haec innuenda erant, ut quae de corde ut symbolum est dicenda sunt, rite intelligantur. Nam factum est, ut cor hominis, organum vivum in pectore exsistens, illo latiore sensu symbolum dici coeptum sit, quo meram similitudinem seu figuram significat. „Nescimus, ait auctor ex quo haec excerpuntur, quisnam huic concipiendi modo initium dederit, certum tamen est, eundem occasione cultus ss. Cordis Jesu multis tritissimum evasisse“, ut ex auctoribus qui de hac devotione scripserunt necnon ex variis documentis videri potest. Quibus illud commune est, ut cor improprie symbolum dicant, (quatenus „figuram“ seu „similitudinem“ significat). Cor enim in pectore absconditum, sanguinem movens et affectuum animae particeps symbolum proprie dictum esse nequit etiam sola ea ratione quia signum arbitrarium non est. Ceterum neque signum naturale affectuum moralium est. Affectus enim morales ad animam rationalem pertinent, quae eorum sibi conscia est cum primum in ipsa oriuntur. Ideoque cor ipsum, quamvis suo modo eos postea manifestet (id quod rarius accidit) *signum* esse nequit ad ea manifestanda, cum jam antea sint percepta. Effectus enim alicujus causae tum solum apte

signum ipsius dicitur, cum prior eâdem percipitur. Illud tamen concedi potest hinc inde cordis alterationes vehementiam affectus clarius prodere.

c. Cor, symbolum proprie dictum.

Plura dicenda sunt de corde ut est symbolum proprie dictum.

Antiquitus mos receptus est, ut reliquiis aut imaginibus cordis necnon actionibus variis, quae ad cor referuntur, cor morale illud de quo initio sermo fuit symbolicè repraesentetur. Sic s. Scriptura Deum corda *appendere* dicit: „appendit autem corda Dominus" (Prov. 21, 2). Qui concipiendi modus etiam Aegyptiis usitatus fuit: Osiris cor defuncti in statera appendit.

Frequens praetera est usus cordi personarum, quae virtutibus excelluerunt specialem cultum tribuendi; ipsum ex pectore defuncti desumptum atque capsa argentea vel aurea inclusum publicae venerationi exponendi.

Frequentissime autem cor ad amorem symbolice significandum adhibetur. Cum enim amor omnium affectuum primarius ac maxime fundamentalis sit, mirum non est eundem prae caeteris hominum mentibus obversari ac symbolice diversimode repraesentari. Aliqua hujusmodi innuisse sufficiat. Cum amor sexualis haud raro fons sit anxietatum et dolorum, antiqui eundem per vulnus, quod Eros cordi sagittâ

immissa infligebat, repraesentabant. Qui usus amorem per vulnus cordi inflictum exprimendi ex canticis canticorum in populum christianum transiit ad amorem erga Deum symbolice pingendum. Corda flammis praedita, corda argentea vel aurea altaribus appensa, et alia similia omnibus nota sunt. Etiam variae sententiae symbolice expressae inveniuntur; Ita e. g. mos testandi ut post mortem cor in aliquem locum decedenti percarum transportetur sententiae illi respondet: „ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum“ (Matth. 6, 21).

Si quis abundantiorem exemplorum copiam desiderat in opere citato eam inveniet.

Quae omnia illud efficiunt, apud omnes cor moralium actionum internarum principium et cor organicum saltem inadaequate identicum haberi. Omnium enim sentiendi modus id efficit, ut orta in mente idea cordis amantis, dolentis, virtutibus ornati, afflicti etc. *idem cor, nec aliud ab eo distinctum,* symbolice repraesentetur flammis praeditum, vulnere affectum, floribus aut spinis cinctum. Quae consuetudo omnibus hominibus insita cor morale eodem conceptu concipiendi quo cor corporeum concipitur — sed aucto et amplificato — efficit, ut cor ex corpore desumptum vel cor pictum aut sculptum perapte tamquam signum vel symbolum cordis illius latiore sensu sumpti habeatur, cujus iste est pars ut ita dicam integrans.

Notandum tamen est cor e corpore desumptum vel cor ab artifice confectum nondum per se esse signum vel symbolum. Ut symbolum evadat aliud signum addendum vel saltem aliqua actio symbolice perficienda est. Si pro anatomicis studiis cor ex cadavere extrahitur, nullum est symbolum; si cor efficitur ex creta ut studiosis sit exemplar pro studiis vel si in libris scholasticis depingitur, symbolum non est. Ergo cor corporeum per se solum nondum est symbolum cordis moralis.

Si quis igitur ad devotionem suam demonstrandam per testamentum cor suum alicui donat, inepte, vel saltem minus accurate dicitur „cor esse symbolum amoris". Non enim *cor* sed *donatio* cordis amoris est symbolum.

Quae omnia (in opere citato longe lateque explicata) id ostendunt, cor corporeum ab omnibus ut partem praecipuam sensibilis cordis moralis concipi, cum eoque inadaequate identicum haberi, ideoque aptissime — *additis signis vel actionibus idoneis* — ad cordis moralis affectus et virtutes symbolice repraesentandas usurpari.

3. Cor metaphoricum.

Ut ea quae hucusque de corde vel strictiore vel latiore sed semper *proprio* sensu sumpto explicata sunt, magis confirmentur, apte aliqua de eodem *metaphorice* sumpto adduntur.

Et primum quidem terminus cordis, quoniam cor in medio pectore absconditum manet, (saltem in aliquibus linguis) ad aliquid medium et absconditum designandum adhibetur; latini autem potius „viscera“ quam „cor“ dicunt; aliis autem in linguis bene dicitur, „cor maris, cor montis, cor terrae, cor urbis“ et similia.

Deinde etiam ad interiora hominis generatim designanda non raro idem terminus cordis adhibetur: „Epulati estis super terram, et in luxuriis enutristis corda vestra in die occisionis“ (Jac. 5, 5). „Ponamque buccellam panis, et confortate cor vestrum, postea transibitis“ (Gen. 18, 5). Non raro totus homo per synekdochen vocabulo cordis designatur; exempla plura in opere citato collecta inveniuntur, ex quibus unum tantum eligimus. Anchises Aeneam haec jubet „Lectos juvenes, *fortissima corda,* defer in Italiam“ (Aen. 5, 7—8 s.). Alias virtutem aliquam specialem — praesertim prudentiam vel sapientiam designat. „In labiis sapientis invenitur sapientia; et virga in dorso ejus, qui indiget corde“ [= sapientia] (Prov. 10, 13). Ipso Deo, cui cor proprie dictum non est, diversimode cor tribuitur: „Quaesivit Dominus sibi virum juxta cor suum“ (I. Reg. 13, 14). Haec innuisse sufficiat. Multis aliis modis cor metaphorice praedicatur; quae omnia ostendunt nullo modo negandum esse metaphoras ejusmodi haud raras esse. Maximi autem momenti

est, ut metaphorae ab eo usu termini cordis distinguantur, quo non solum de corde corporeo physico sed etiam de principio morali interno *proprie* praedicatur; haec enim thesis est fundamentalis.

B. De objecto cultus ss. Cordis Jesu ab ecclesia approbati.

„Cum simplicibus sermocinatio ejus“ (Prov. 3, 32). Cum cultus ss. Cordis a piissimo Redemptore ad eum finem hominibus revelatus sit, ut per eum facile ad amorem Dei perveniant, objectum cultus hujusmodi omnino clarum simplicibusque et rudibus hominibus plane obvium sit oportet. Quare omnia, quae claritati et simplicitati huic obsunt, minus probanda esse videntur. Quamvis itaque homines simplices loquentes non paucis metaphoris utantur, tamen eas reflexe investigare atque cognoscere nesciunt; atqui si Cor Jesu, ut est objectum cultus, metaphorice sumeretur, aliqua reflexa cognitione opus esset, qua Cor organicum a corde metaphorico distingueretur. Praeterea homines rudes audientes vocabulum cordis, utpote rei notissimae, nihil aliud cogitant quam id quod ipsis est maxime obvium, et jure merito mirarentur, si quis eos docere vellet ipsos quidem recte de corde judicare, sed cum agatur de cultu SS^i Cordis, alio

sensu illud concipiendum esse ab eo qui ipsis maxime obvius et tritus est. Ideoque merito auctor noster thesim statuit: objectum cultus ecclesiastici Cordis Jesu esse Cor Christi Dei et hominis sensu quidem proprio, sed non primario et strictiore sensu verum latiore, quo totum illud internum Domini comprehendit, quod homines idea cordis concipiunt; et hoc quidem cor cum speciali respectu tum ad *amorem,* quo dilexit nos, tum ad *dolores,* quos ob eundem amorem perpessum est, colitur.

I. Revelationes privatae.

Hoc apparet ex ipsis revelationibus quibus divinus Redemptor cultum ss. Cordis Sui in Ecclesia promovit. Ipse enim B. Margaritae Mariae Alacoque apparens et cor suum ostendens: „Ecce cor, ait, quod homines tantopere dilexit". . . Cum ergo Christus cor suum in pectore reclusum ostenderet, manifestum est eum de corde *proprie* dicto locutum esse; B. Margarita cor Jesu proprie dictum intuebatur, cujus infinitum amorem Christus extollebat. Nec tamen Margarita *totum* cor illud, cujus amorem Christus laudabat, intuebatur; animam enim, a qua amor *rationalis* procedit, ipsa non videbat. At nulla in hoc difficultas invenitur; ita enim etiam hominem quoad corpus, imo et quoad partem tantum corporis videntes vere dicimus „video hominem talem".

Cum itaque Dominus noster Margaritae cor corporeum ostenderet de eoque multa praedicaret, quae nonnisi ab anima rationali effici possunt, non alio modo egit quam eo qui hominibus communissimus est; dicunt enim: *homo* ille ingenio, constantia, benignitate praeditus est. Ad hunc Domini Nostri loquendi modum explicandum necesse non est, ut ad unionem hypostaticam recurramus. Ut enim nil dicam de Corde B. V. Mariae, cujus virtutes simili modo ac virtutes Cordis Jesu extolluntur, unitas personae in Christo et consequens communicatio idiomatum non quamlibet communicationem etiam quoad *partes* permittit. Si enim recte dicimus Christum esse Deum, absone ipsum Cor Jesu diceretur Deus. Verbum Dei est homo sed non est anima vel corpus vel cor hominis, quamvis haec omnia habeat.

Christus autem Cor suum revelans variis symbolis idem exornavit: flammis, cruce, vulnere, spinea corona: quae omnia sive amorem sive dolores exprimere omnibus est compertum. Ex iis vero quae Christus Dominus ad B. Margaritam locutus est, quaeque apud varios qui de cultu SS. Cordis scripserunt inveniuntur et a nostro auctore citantur, iterum ea fiunt manifesta, quae jam antea sunt dicta, voluntatem sc. Domini esse ut *sensus interni cordis* ipsius [les *sentiments intérieurs* de *son coeur* et de son amour honorés sous la figure de *son coeur*

de chair — verba sunt B. Margaritae] in *figura* (seu symbolo) *cordis corporei* colantur. Ergo *sensus cordis* (*proprie* dicti — quamvis latiore sensu sumpti) sub figura item cordis *proprie* sed strictius sumpti objectum sunt hujus cultus; proinde cor corporeum sensibiliter sive pictura sive sculptura expressum symbolum cordis moralis statuitur; nam in figura *cordis* corporei „*sensus cordis*" colere est idem ac in figura illa cor amplificatum, quod illos sensus continet, colere.

2. Documenta ecclesiastica.

Idem apparet si documenta ecclesiastica sive antiqua sive recentiora spectentur. Inter alia autem documenta liturgica eminent. Si enim mos orandi morem credendi ecclesiae patefacit, multo magis subjecta ad quae orationes dirigit ex ipsis orationibus clarescant oportet. Ne autem longiores simus, quam proposuimus, duo innuisse sufficiat. Et primum quidem lectiones secundi nocturni utriusque officii SS. Cordis attendantur („Sermo St^{i}. Bernardi Abbatis"); ex quibus ea quae superius dicta sunt egregie illustrantur et confirmantur: auctor enim hujus sermonis certo certius cor corporeum prae oculis habet; sed de *eodem* corde (utique latius accepto) etiam talia praedicat, quae nonnisi rationalibus conveniunt. — Deinde vero litaniae ss. Cordis idem ostendunt.

Cum enim *una* sit oratio, in qua multoties ss. Cor invocatur, *unum idemque* cor objectum est invocationum. Atqui de eodem corde modo talia quae non nisi corporeo cordi, modo talia quae enti rationali tantum conveniunt (lancea perforatum — usque ad mortem obediens factum) praedicantur, semper autem eadem additur invocatio: „miserere nobis“, quae nonnisi ad ens ratione praeditum dirigi potest; ergo etiam cor corporeum, cor lancea perforatum, tamquam ratione praeditum concipitur. Nil juvat sola ratio unionis hypostaticae; nam, ut jam innuimus, communicatio idiomatum habetur quidem inter personam et eandem secundum humanam naturam denominatam (Verbum homo est — Verbum caro [= *homo*] factum est) non vero inter personam et partes naturae (Deus manus, pes, cor est!). Ergo *unum* idemque cor, modo strictius modo latius acceptum objectum cultus est, ita tamen ut cor strictius sumptum (praesertim variis illis signis flammarum, crucis, vulneris, coronae praeditum) symbolum habeatur cordis latius accepti.

3. Cultus ss. Cordis ab ecclesia approbatus.

Ut igitur cultus ss. Cordis rite intelligatur, illud firmiter tenendum est, cor corporeum quod in medio pectore cursum sanguinis regit, non esse unicum quod cor hominis dicatur; si homo animal irrationale esset, recte cor in pectore

existens unice cor hominis diceretur; cum vero animal rationale sit, quod suprasensibilia cognoscit et appetit, cumque affectiones hujusmodi ab omnibus *cordi* adscribantur, subjectum et principium ipsarum *recte* et *vere*, et *proprie*, non *metaphorice cor* dicitur; nec à corporeo adaequate distinguitur, secus una ideâ verâ utrumque concipere absonum esset.

Cor Jesu igitur, quod colimus, est cor divini Redemptoris latiore sed proprio sensu sumptum, i. e. cor compositum ex corde corporeo et parte rationali, quae est subiectum et principium totius amoris ac bonitatis omniumque virtutum, ut breviter dicam, totius vitae moralis internae Christi Domini Redemptoris nostri. Et quia idem cor hypostatice cum Verbo unitum est, quod corde humanitatis suae tamquam instrumento bonitatis suae usus est, cultus latriae ipsi iure merito exhibetur.

Hinc quaestio an cor corporeum, an cor quod dicunt suprasensibile, an utrumque simul sumptum objectum cultus sit, evanescit. Objectum cultus est Cor Jesu sensu pleno, quo cor corporeum et interna Christi in unum verum conceptum amplificatum coalescunt. Ratio autem cur objectum specialis cultus proponatur sunt ejusdem amor ac dolores; amor et dolores quibus

Se nascens dedit socium
Convescens in edulium

Se moriens in pretium
Se regnans dat in praemium.

Ad cultum ss. Cordis, quem B. Margaritae revelatum divinus Redemptor in Ecclesia sua exerceri ac florescere vult, etiam illud pertinet, ut cor pleniore sensu de quo sermo fuit, symbulo cordis corporei (variis signis ornati) repraesentetur, ita ut hoc sit quasi medium ordinarium ulterius progrediendi ad penetranda mirabilia infiniti amoris ac doloris Christi Domini Redemptoris nostri.

Secunda pars.

Selecta Pietatis exercitia.

I.

Recentiores Preces ad SS. Cor Jesu

in ipsa Urbe Roma legitime approbatae ac typis vulgatae an. 1885[1]).

1. In intima fide et humilitate adoro Cor tuum, Jesu dulcissime, qui es Christus Filius Dei vivi, qui es Dei virtus et Dei sapientia, tibique offero me ipsum et omnes actus meos in amorem et gloriam Cordis tui nunc et semper; vita Cordis tui, Domine Jesu, sit vita mea.

Cor Jesu sacratissimum, miserere nobis.

Cor Mariae immaculatum, ora pro nobis.

2. Jesu dulcissime, qui divinum Cor tuum nobis revelasti, ut in ipso immensa caritatis tuae in nos beneficia veneremur, atque amore nostro ingratorum et peccatorum injurias repa-

---

[1]) Ex libello „*Piissima* . .,“ qui pontificio magistratu libris judicandis constituto probante editus est typis Tiberinis, apud plateam Burghesianam.

remus, trahe ad Te corda nostra; illumina nos, ut noscamus Te, Teque diligamus, et zelus gloriae ac honoris Cordis tui exurat animas nostras.

Cor Jesu etc. Cor Mariae etc.

3. Cor Jesu mitissimum, concede nobis gratiam verae mansuetudinis, ac doce nos vias tuas, et fac, ut in mansuetudine servemus animam nostram, et demus illi honorem juxta meritum suum.

Cor Jesu etc. Cor Mariae etc.

4. Cor Jesu verae humilitatis exemplar, dona quaeso, spiritum humilitatis tuae cordibus nostris, ut nunquam indignationem tuam provocemus elati, sed potius gratiae tuae capiamus dona subjecti.

Cor Jesu etc. Cor Mariae etc.

5. Cor Jesu divini Patris voluntati obsequentissimum, adjuva nos, ut secundum voluntatem ejus alacriter ambulemus, et quae placita sunt ei, faciamus semper.

Cor Jesu etc. Cor Mariae etc.

6. Cor Jesu divinum puritatis exemplar, libera nos a spiritibus immundis, et ure tuo igne renes nostros et cor nostrum, ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

Cor Jesu etc. Cor Mariae etc.

7. Cor Jesu patientissimum, et oblatio ac hostia Deo in odorem suavitatis, da nobis exemplo tuo omnia adversantia aequanimiter

tolerare, suscipe cor totum et affectus nostros et sis Deus cordis nostri et pars nostra in aeternum.

Cor Jesu etc. Cor Mariae etc.

8. Cor Jesu infinite amans et amandum, fac nos tuis semper inhaerere mandatis, et a Te nunquam separari permittas, ac da virtutem ut propter Te fratres et inimicos nostros in veritate diligamus, et debitoribus nostris dimittamus de cordibus nostris.

Cor Jesu etc. Cor Mariae etc.

9. Cor Jesu potentissimum et misericors, ad Te cum fiducia accedimus, ut digneris sanare nos a languoribus animae et virtutem tuam ostendas in nobis, quae de Te exibat et sanabat omnes.

Cor Jesu etc. Cor Mariae etc.

10. Cor Jesu doloribus repletum et lancea vulneratum, da nobis gratiam vera contritionis et poenitentiae de peccatis nostris ante diem mortis, et fac ut mundati in sanguine tuo salvi simus ab ira caelesti, ac in tuo hospitio beatissimo vivamus, et in ipso sancte moriamur.

Cor Jesu etc. Cor Mariae etc.

11. Cor Jesu salutis nostrae sitientissimum, revoca praevaricatores ad cor, ut non moriantur in peccatis suis, et servos tuos perpetua protectione custodi.

Cor Jesu etc. Cor Mariae etc.

12. Sancte Pater omnipotens aeterne Deus, tibi offero Cor Jesu, sanctitatem, amorem et merita ejus in satisfactionem et expiationem peccatorum meorum, in gratiarum actionem pro universis beneficiis tuis, in obsequium et adorationem debitam divinae majestati tuae, utque potentem opem gratiarum tuarum in necessitatibus meis impetrare valeam, atque in ipso et per ipsum a Te exaudiri merear, sanctificari et salvari. Protector noster aspice Deus, et respice in faciem Christi tui.

Oremus.

Illo nos igne, quaesumus omnipotens Deus, Spiritus Sanctus inflammet, quem Dominus Noster Jesus Christus e penetralibus Cordis sui misit in terram, et voluit vehementer accendi: qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Formula consecrationis mundi ad SS. Cor Jesu.

Jesu dulcissime, Redemptor humani generis, respice nos ad altare tuum humillime provolutos. Tui sumus, tui esse volumus; quo autem Tibi conjuncti firmius esse possimus, en hodie Sacratissimo Cordi tuo se quisque nostrum sponte dedicat. — Te quidem multi novere nunquam: Te, spretis mandatis tuis, multi repudiarunt. Misere utrorumque, benignissime

Jesu: atque ad sanctum Cor tuum rape universos. Rex esto, Domine, nec fidelium tantum, qui nullo tempore discessere a Te, sed etiam prodigorum filiorum, qui Te reliquerunt; fac hos, ut domum paternam cito repetant, ne miseria et fame pereant. Rex esto eorum, quos aut opinionum error deceptos habet aut discordia separatos, eosque ad portum veritatis atque ad unitatem fidei revoca, ut brevi fiat unum ovile et unus pastor. Rex esto denique eorum omnium, qui in vetere gentium superstitione versantur, eosque e tenebris vindicare ne renuas in Dei lumen et regnum. Largire, Domine, Ecclesiae tuae securam cum incolumitate libertatem; largire cunctis gentibus tranquillitatem ordinis; perfice, ut ab utroque terrae vertice una resonet vox: Sit laus divino Cordi, per quod nobis parta salus: ipsi gloria et honor in saecula. Amen.

II.

Orationes variis in locis legitime editae.

Aspirationes sacrae ad Sanctissimum Cor Jesu.

I. O Cor divinissimum, suprema Angelorum et hominum adoratione dignissimum, adoro te: laudo te: glorifico te. Fac, obtestor, ut tua illa divina et infinita excellentia animum meum te illuminante perfundat, et debita admiratione defigat.

II. O Cor amabilissimum, infinito amore dignum, amo te: toto cordis affectu complector te: deosculor te: me tibi, obsecro, arctissime et inseparabiliter conjunge.

III. O Cor sanctissimum, fons perennis sanctitatis, virtutibus tuis coelestibus terrestre cor meum immuta, consecra, sanctifica.

IV. O Cor gratiarum omnium thesaurus indeficiens, divinis tuis muneribus miserum et egentissimum cor meum subleva, dita, cumula.

V. O Rex cordium, dominator legitime imo et unice omnium cordium, subjice imperio illi tuo divinissimo ac suavissimo etiam rebelle cor meum.

VI. O Cor aeternae caritatis sedes dignissima, divino amore, quo ardes, inflamma cor meum.

VII. O Cor Jesu Patri aeterno infinite gratum, me, tuis meritis, majestati ejus acceptum constitue: mea omnia tu perfice, atque divinis aspectibus digna redde.

Actus consecrationis ad Sacratissimum Cor Jesu.

Dulcissime Jesu, fons amoris, pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui ineffabiles Cordis tui divitias nobis miseris et indignis aperire dignatus es; ego N. in gratiarum actionem pro innumeris in me caeterosque homines collatis beneficiis ac praesertim pro SS. Eucharistiae institutione, et ad reparandas in-

jurias omnes a me et ab aliis quibuscunque in hoc infiniti amoris mysterio Cordi tuo amantissimo illatas, eidem sacratissimo Cordi tuo me totum et omnia mea devoveo cum omnibus bonis ac meritis ex gratia tua acquisitis vel acquirendis, promittens, me divini Cordis tui cultum, quantum pro mea tenuitate licuerit, propagaturum.

Insuper beatissimam Virginem Mariam in peculiarem matrem mihi eligo, hujusque purissimo Cordi me et omnia mea pariter trado ac devoveo, promittens, me hujus purissimae matris cultum juxta ecclesiae mentem, quantum in me erit, propagaturum.

A tua ergo immensa bonitate et clementia peto suppliciter, ut hoc holocaustum in odorem suavitatis admittere digneris, et ut largitus es ad hoc desiderandum et offerendum, sic etiam ad explendum gratiam uberem largiaris. Amen.

Brevior formula consecrationis.

Dulcissime Jesu, qui caritate perpetua nos dilexisti, suppliciter Te rogamus, ut in sacrarium Cordis Tui nos admittere digneris. In Te, Domine Jesu, et pro Te solo vivere desideramus summoque devotionis affectu nos totos Tibi offerimus et consecramus. Fac nos, quaesumus, ab omni peccati labe purgatos a saeculi vanitatibus abhorrere et ss. Cordis Tui virtutibus indui et affectibus inflammari, ut digni altaris mi-

nistri effici mereamur. Concede propitius, ut promovendae gloriae Tuae semper intenti cultum ss. Cordis Tui, quantum pro nostra tenuitate licuerit, propagemus, Tibi caritate in dies magis uniamur et a Tuo servitio nunquam cessemus Amen.

Formula Consecrationis

Sacratissimo Cordi Jesu a Clero recitanda.

Domine Jesu, Redemptor noster amantissime et Sacerdos in aeternum, nos supplices tuos, quos appellare amicos et sacerdotii tui participes facere dignatus es, propitius respice. Tui sumus: tui perpetuo esse volumus: ideo Sacratissimo Cordi tuo, quod tanquam unicum salutis perfugium laboranti humano generi ostendisti, dedicamus nos hodie totos et addicimus. Tu, qui sacerdotibus, Cordis tui cultoribus, uberes divini ministerii fructus promisisti, fac nos, quaesumus, idoneos in vinea tua operarios, vere humiles et mites, spiritu devotionis et patientiae plenos, ita flagrantes amore Tui, ut eumdem charitatis ignem in animis fidelium excitare et fovere non cessemus. Nostra igitur corda incendio Tui Cordis innova ut jam nihil aliud studeamus, quam tuam promovere gloriam et animas Tibi lucrari, quas pretioso sanguine redemisit Miserere, Pastor bone, praesertim sacerdotum, fratrum nostro-

rum, si qui, ambulantes in vanitate sensus sui, Te et dilectam Sponsam tuam, Ecclesiam, lacrimabili defectione contristarunt. Concede nobis ad tuum complexum eos reducere, aut certe ipsorum expiare delicta, resarcire damna, et dolorem, quo Te afficiunt, amoris nostri consolatione minuere. Sine denique, Te quisque nostrum exoret his Augustini verbis: O dulcis Jesu, vivas Tu in me et convalescat spiritu meo vivus carbo amoris tui, et excrescat in ignem perfectum; ardeat jugiter in ara cordis mei, ferveat in medullis meis, flagret in absconditis animae meae; in die consummationis meae consummatus inveniar apud Te, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

Dilectis utriusque Cleri saecularis et regularis filiis, qui per hanc Consecrationis formulam Sacratissimo Cordi Jesu pie sese dedicaverint ac addixerint:

1. Indulgentiam Tercentorum dierum toties quoties;

2. Indulgentiam Septem annorum in collationibus de divinis, quae singulis anni mensibus fieri solent;

3. Indulgentiam Plenariam in fine spiritualium Exercitiorum in Domino concedimus.

Ex Aedibus Vaticanis, die 17. mense Sextili, Anno 1908.

PIUS, PP. X.

Aspirationes ad SS. Cor.

Cor Jesu, protege me.
Lux Cordis Jesu, illumina me.
Flamma Cordis Jesu, accende me.
Corona spinea Cordis Jesu, compunge me.
Crux Cordis Jesu, robora me.
Aqua Cordis Jesu, munda me.
Sanguis Cordis Jesu, inebria me.
Vulnus Cordis Jesu, accipe me,
Ut inhabitem in Te
In saecula saeculorum. Amen.

Oratio ad obtinendam veram devotionem erga SS. Cor.

O salvator hominum, Christe Jesu, cujus opus redemptio nostra est, cujus imitatio tota perfectio est; aperi mihi, obsecro, sanctissimum Cor tuum, januam vitae et fontem aquae vivae, ut per illud ad tui notitiam ingrediar et aquam verae virtutis omnem sitim rerum temporalium extinguentem bibam.

Officium parvum SS. Cordis Jesu.

Sequens „Officium parvum S. Cordis Jesu" primum et principalem auctorem habet P. Joan. Croiset S. J. contemporaneum B. Marg. Mariae Alacoque, a quo anno 1691 in lucem editum fuit. Paulo post, sc. anno 1727, P. Jos. de Gallifet S. J. illud cooperantibus Emmis Cardinalibus Albani et Belluga correxit et com-

plevit et demum inseruit celebri operi suo de cultu S. Cordis Jesu, quod S. P. Benedicto XIII. obtulit. Demum anno 1900 idem officium jam late divulgatum ab Emmo Cardinali Andrea Steinhuber exhibitum est Sacrorum Rituum Congregationi, quae paucis immutatis censuit, approbationem dandam esse. „Sanctissimus Dominus Noster“ — sunt verba decreti S. R. C. die 26. Febr. 1901 editi — „qui cultum Divini Cordis ubique promovendum augendumque multipliciter sategit, sententiam Sacri ipsius Concilii ratam habens, parvum Officium de Sacratissimo Corde Jesu . . suprema Auctoritate sua libenter approbavit, illudque tam privatim quam publice recitandum Christifidelibus concessit.“

Ad Matutinum.

℣. Domine labia mea aperies,

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus in adjutorium meum intende,

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto,

℟. Sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen. Alleluja.

A Septuagesima usque ad Pascha, loco Alleluja, *dicitur:* Laus tibi, Domine, Rex aeternae gloriae.

℣. Cor Jesu flagrans amore nostri,

℟. Inflamma cor nostrum amore tui.

Hymnus.

Coelestis aulae gaudium,
Splendor paternae gloriae,
Carnem benignus induens,
Nobis fores ut hostia;

Jesu, voluptas cordium,
Cor ure sacris ignibus,
Dignis ut ornem laudibus
Cordis tui sacrarium.

Cor dulce, Cor amabile!
Amore nostri fervidum,
Amore nostri languidum,
Fac sis mihi placabile.

Cor Jesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.
Amen.

Ant. O sacrum Cor Jesu, Patris voluntati obsequentissimum! inclina ad Te corda nostra, ut, quae placita sunt Ei, faciamus semper.

℣. Paratum cor meum, Deus cordis mei, ut faciam voluntatem tuam.

℟. Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.

Oremus.

Domine Jesu, qui ineffabiles Cordis tui dulcedines ac divitias Ecclesiae, Sponsae tuae,

singulari dilectione aperire dignatus es: concede nobis famulis tuis, ut gratiis coelestibus ex hoc dulcissimo fonte manantibus ditari et recreari mereamur: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Ad Laudes.

℣. Deus in adjutorium etc.
Gloria Patri etc.
℣. Cor Jesu flagrans amore nostri,
℟. Inflàmma cor nostrum amore tui.

Hymnus.

Cor, digna sedes Numine,
Te sacra virtus Flaminis,
Illapsa in alvum Virginis
Puro creavit sanguine.

Tu Trinitatis gloria,
In te Patris sunt gaudia,
Jungit Tibi se Filius,
In Te quiescit Spiritus,

Orbi salus Tu perdito,
Secura pax Fidelium,
Puris asylum mentibus,
Castis recessus cordibus.

Cor Jesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.
Amen.

Ant. O sacrum Cor Jesu, salutis nostrae sitientissimum! revoca nos praevaricatores ad cor, ut non moriamur in peccatis nostris.

℣. Paratum cor meum, Deus cordis mei, ut faciam voluntatem tuam.

℟. Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.

Oremus, *ut supra.*

Ad Primam.

℣. Deus in adjutorium etc.
Gloria Patri etc.
℣. Cor Jesu flagrans amore nostri,
℟. Inflamma cor nostrum amore tui.

Hymnus.

O Cor amoris victima,
Coeli perenne gaudium,
Mortalium solatium,
Mortalium spes unica;

Grandi reclusum vulnere,
Amor dedit Te pervium;
Amor reclusit ostium,
Hortatur et pervadere.

Quos abluisti sanguine
Venis apertis omnibus,
Nos intimis recessibus
Semel receptos contine.

Cor Jesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,

Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.
Amen.

Ant. O sacrum Cor Jesu, puritatis exemplar perfectissimum, fac nos corde mundo, ut secundum Te inveniri mereamur.

℣. Paratum cor meum, Deus cordis mei, ut faciam voluntatem tuam.

℟. Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.

Oremus, *ut supra*.

Ad Tertiam.

℣. Deus, in adjutorium etc.
Gloria Patri etc.
℣. Cor Jesu flagrans amore nostri,
℟. Inflamma cor nostrum amore tui.

Hymnus.

O Cor amore saucium,
Amore corda saucia:
Vitale nectar Coelitum,
Amore nos inebria.

Novo Deus mysterio
Carnem suam dat pabulum,
Et sanguinem dat poculum
Mirabili in convivio.

Quem proni adorant Angeli,
Sub mystico velamine,

Divinitatis temperans
Lumen, fit esca servulis.

Cor Jesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.
Amen.

Ant. O sacrum Cor Jesu, in hostes tuos mitissimum, exultet pax tua in cordibus nostris, ut persequentibus et calumniantibus nos remittamus de cordibus nostris.

℣. Paratum cor meum, Deus cordis mei, ut faciam voluntatem tuam.

℟. Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.

Oremus, *ut supra.*

Ad Sextam.

℣. Deus, in adjutorium etc.
Gloria Patri etc.
℣. Cor Jesu, flagrans amore nostri,
℟. Inflamma cor nostrum amore tui.

Hymnus.

Cor, ara Coelo celsior,
Terris marique latior,
Quas ante non exceperis,
Deus repellit hostias;

Hîc sacra virtutum cohors.
Custos comesque candidae

Fidelis innocentiae,
In sede regnat propria.

Hoc jura, quae mundum regant,
Volvuntur alto pectore;
Hoc fonte, quae mentes beent,
Manant fluenta gratiae.

Cor Jesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.
Amen.

Ant. O sacrum Cor Jesu, pro peccatis nostris afflictissimum, da nobis cor contritum et humiliatum, ut dignos poenitentiae fructus faciamus.

℣. Paratum cor meum, Deus cordis mei, ut faciam voluntatem tuam.

℟. Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.

Oremus, *ut supra.*

Ad Nonam

℣. Deus, in adjutorium etc.
Gloria Patri etc.
℣. Cor Jesu flagrans amore nostri,
℟. Inflamma cor nostrum amore tui.

Hymnus.

Cor sole puro purius,
Templumque Coelo dignius,

Verbi Dei sacrarium,
Opum Dei compendium.

Ex Te quot actus prodeunt,
Tot digna Patre munera;
Quot vota fundis, tot Pater
Justis rependit praemiis.

Vindex reis irascitur
Deus, sed ut Te respicit,
Placatus iras abjicit,
Et fulmen obliviscitur.

Cor Jesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.
Amen.

Ant. O sacrum Cor Jesu, paupertatis amantissimum! pone nos ut signaculum super Te, ut in Te, unico thesauro nostro, totum sit cor nostrum.

℣. Paratum cor meum, Deus cordis mei, ut faciam voluntatem tuam.

℟. Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.

Oremus, *ut supra.*

Ad Vesperas.

℣. Deus in adjutorium etc.
Gloria Patri etc.

℣. Cor Jesu, flagrans amore nostri,
℟. Inflamma cor nostrum amore tui.

Hymnus.

O Cor, Deo par victima,
Altare sacratissimum,
In quo perennis hostia
Culpas piat mortalium.

Nidus gementis turturis,
Gratum columbis pabulum,
Hortus refulgens floribus,
Sponsae quies et lectulus.

Hîc casta spirant lilia,
Quibus nitescunt Virgines,
Hîc, unde splendent Martyres,
Rosae rubescit purpura.

Cor Jesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus.
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.
Amen.

Ant. O sacrum Cor Jesu, diligentibus Te beneficentissimum! deficiat in te caro nostra et cor nostrum, ut sis amor cordis nostri, et pars nostra in aeternum.

℣. Paratum cor meum, Deus cordis mei, ut faciam voluntatem tuam.

℟. Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.

Oremus, *ut supra.*

Ad Completorium.

℣. Deus, in adjutorium etc.
Gloria Patri etc.
℣. Cor Jesu, flagrans amore nostri,
℟. Imflamma cor nostrum amore tui.

Hymnus.

Cor matris ad Cor Filii
Amoris ardens impetu,
Indesinente anhelitu,
Suspirat oblitum sui.

Utrumque amoris vinculo
Nexu perenni jungitur:
Hoc ardet hujus ignibus
Ignemque reddit aemulum.

Cor Jesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.
Amen.

Ant. O victima caritatis, Cor amantissimum Jesu, pro peccatis nostris immolatum, ab ingratis hominibus neglectum et afflictum, converte nos, vivifica nos, accende nos.

℣. Paratum cor meum, Deus cordis mei, ut faciam voluntatem tuam.

℟. Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.

Oremus, *ut supra.*

(200 d. Indulg. semel in die; addita tamen aliqua prece ad intent. S. Pont. Leo XIII. 24. Jan. 1902. — Insuper in-

dulg. plenaria pro recitatione quotidiana per totum mensem. Conditiones: conf. et comm. aliquo die intra mensem; preces ad intent. S. P., visitatio eccl. Pius X. 8. Mart. 1904.)

Utraque ind. def. appl.

Rhythmus ad SS. Cor Jesu.

Cor Jesu, Cor purissimum,
O ara sanctitatis!
Cor meum purga sordidum,
Infectum tot peccatis.

Qui movet tibi vomitum,
Auferto hinc teporem,
Infunde novum spiritum
Et spiritus fervorem.

Cor mite, Cor humillimum,
Cor plenum bonitatis,
Cor tuo da simillimum,
Da ignem caritatis.

Sed quid? si vel seraphico
Amore cor flagraret,
Non tamen hoc incendio
Non satis te amaret.

Ut ergo te diligere,
Cor Jesu, possim satis,
Immensum da, quo amas me,
Ardorem caritatis.

Hoc, hoc amoris jaculo
Cor meum accendatur,

Et hujus ab incendio
In cineres solvatur.

O mors exoptatissima,
Sic mori vi amoris,
Amoris sit cor victima
Pro Corde Redemptoris.

Amore tui moriar,
Cor Jesu, amor meus!
Ut novo corde ordiar
Amare te, o Deus! Amen.

Unice cordis amor, timor unice cordis, Jesu!
Cor tibi dono meum, Cor mihi redde tuum.

Novem officia amoris erga SS. Cor Jesu.

Praemonitum.

1. In Collegiis ecclesiasticis juvenes in studiis sodales *novem officia amoris* turmatim explent, h. e., in varias distributi sectiones, quarum singulae novem sociis constant (*De ration. fest.*, t. 1., p. 474).
2. Inter novem sodales, qui in turma sua devotionis foedere juncti Sanctissimum Cor Jesu hac ratione colunt, singulis mensibus vices permutantur.
3. Die proximo ante primam cujuslibet mensis feriam VI. officia inter novem foederatos sorte dividuntur, ita ut singulis singuli dies hebdomadae obtingant, quibus quilibet eorum officium suum praestet.

4. Illius ex sodalibus, cui in sortiendis officiis *zelatoris* munus pro currente mense obtigit, industria in eo vigere debet, ut officia singulis diebus assignata per mensem rite fiant atque novo mense ineunte opportune mutentur. Quapropter 1° singulis diebus, pridie vesperi, eum foederatum officii sui monet, qui illud postero die est exsecuturus; et 2° diligentem curam adhibebit de officiorum sortitione ante primam feriam sextam mensis proxime sequentis accurate perficienda.
5. Quamvis auctores hujus methodi cautum esse voluerint, ut semper aliud et aliud ex novem officiis a singulis foederatis quotidie praestetur, iidem tamen omnibus suadent, ut diebus sibi assignatis tanquam commune foederis sui tributum etiam *actus consecrationis* et *expiationis* seu *deprecationis* faciant atque unum ex *Officiis parvis SS. Cordis* devote recitent.
6. Qui post absoluta studia e Collegiis egressi, sanctam illam, quam studiorum tempore in SS. Corde Jesu ad invicem habebant, societatem firmam ac perpetuam habere volunt, eandem fere methodum Cor Sanctissimum colendi, ita tenent, ut, integro catalogo suorum in Collegio quondam sodalium in novem sectiones seu turmas ad Alphabeti litteras diviso, singulis sectionibus singuli hebdomadae dies pro integro trimestri aut semestri spatio assignentur, quibus quaelibet sectio

officium sibi tributum expleat. Officia tamen unus e zelatoribus in Collegio degentibus ab alio ad aliud tempus ex ordine mutat, mutataque foederatis quoquoversus dispersis in folio aliquo sodalitio circummittendo indicat.

I. Adorator.

Adorator per frequentem SS. Trinitatis adorationem interne factam et in unione laudum, quae illi a SS. Corde Jesu incessanter tribuuntur, pro mundo, Dei immemore, apud eam supplere conabitur. Cum *Choro Dominationum* repetet Sacrum trisagium *Sanctus* etc . . ., et offeret SS. Cordi Jesu merita Beatae Matris ejus, ut Illa intercedente quidquid boni per orbem terrarum fit, ad majorem ejus gloriam consecretur.

Visitans SS. Sacramentum petet pro omnibus spiritum fervoris.

Virtus. Majori cum zelo negligentiam omnem coram SS. Sacramento arcere.

Jaculatoria.

Cor Jesu flagrans amore nostri,
Inflamma cor nostrum amore Tui.

II. Amans.

Amans compensationem faciet pro indifferentia, qua tot SS. Cordi Jesu consecrati languescunt. *Seraphinorum Choro* unitus saepius ad SS. Cor actus amoris diriget et beatis illis spiritibus curam committet, ut de nocte vices ejus

agant. Beatissimam Virginem, Matrem pulchrae dilectionis, rogabit, ut illam in cordibus omnium, maxime tepidorum, generet.

Virtus. Fidelitas in minimis ex amore.

Jaculatoria.

Cor Jesu flagrans amore nostri,
Inflamma cor meum nostrum Tui.

III. Discipulus.

Discipulus diligentem SS. Cordi Jesu aurem praebebit in oratione et in SS. Sacramento. et desiderabit, ut omnes ejus doctrinam sapiant et hauriant. Fequentabit SS. Cor ut scholam, ubi scientia puri amoris addiscitur. B. V. M. orabit, ut doceat conservare in cordibus nostris omnia verba Divini Filii sui. In unione cum *Choro Cherubinorum* conabitur, uti et ipsi, SS. Cordis Jesu fulgoribus irradiari. Specialiter petet, ut divini illi radii infundantur in erroris discipulos, in cujus intentionem recitabit *Veni Creator*.

Virtus. Cura recollectionis et silentii.

Jaculatoria.

Cor Jesu flagrans amore nostri,
Inflamma cor nostrum amore Tui.

IV. Mediator.

Mediator petet ab aeterno Patre, ut SS. Cor Jesu notum omnibus faciat; et a Spiritu Sancto, ut omnes amore illius inflammet; a B. V. Maria, ut, intercessione tantae Matris mediante, Divini

hujus Cordis efficaciam sentiant, quotquot ad ejus misericordiam confugerint. Cum *Choro Thronorum* societatem inibit, ut cum ipsis tributum amoris ei offerat, frequenter in hoc dulcissimi Cordis penetrale secedens.

Visitabit semel SS. Sacramentum omnium nomine, ut eorum corda SS. Cordi Jesu perfecte subjiciantur.

Virtus ejus erit, ut amorem erga SS. Cor extendat et confirmet.

Jaculatoria.

Cor Jesu flagrans amore nostri,
Inflamma cor nostrum amore Tui.

V. Reparator.

Reparator magna cum humilitate veniam a SS. Corde Jesu petet omnium quas in SS. Sacramento accipit injuriarum. Frequenter per diem in SS. Corde Jesu tanquam in amoris ergastulo se includet, et a B. V. Mariae purissimo Corde petet, ut meritis SS. Cordis ipsius reparatoris insufficientiae suppleatur. *Chorum Potestatum* vocabit in adjutorium suum. Feria quaque sexta actum reparationis faciet SS. Cordi pro omnibus, qui illi displicent.

Virtus. Accuratior regularum observatio.

Jaculatoria.

Cor Jesu flagrans amore nostri,
Inflamma cor nostrum amore Tui.

VI. Servus Fidelis.

Servus Fidelis sollicitus erit, ut gloria SS. Cordis Jesu quoquoversus diffundatur. Ad hunc finem visitationem SS. instituet et in suas partes vocabit B. V. Mariam, cujus ortus gaudium attulit universo mundo, quia ex ea ortus est Sol justitiae, Christus ac Dominus noster. *Novem Choros Angelorum, Principatuum* in specie invocabit, ut radios hujus solis ad tot infideles, haereticos, peccatores, tepidos aliosque pervenire procurent.

Novies dicet *Gloria Patri.*

Virtus. Colloquia excitare, quae grata sint SS. Cordi Jesu, et illa cum prudentia removere, quae illi displicent.

Jaculatoria.

Cor Jesu flagrans amore nostri,
Inflamma cor nostrum amore Tui.

VII. Supplex.

Supplex plenus confidentia propter merita SS. Cordis Jesu accedat et offerat Aeterno Patri supplicationes pro necessitatibus omnium. Orabit in specie pro agonizantibus et animabus in purgatorio detentis. In Visitatione SS. supplicabit SS. Cordi Jesu, ut suarum misericordiarum memor sit atque ad hunc finem B. V. Mariae intercessionem petet: in hujusmodi visitatione socios sibi efflagitabit *custodes Angelos*, et eorum chorum integrum.

Virtus. Caritatis et humilitatis officia.

Jaculatoria.

Cor Jesu flagrans amore nostri,
Inflamma cor nostrum amore Tui.

VIII. Victima.

Victima in spiritu sacrificii vivere procuret ad placandam Dei indignationem contra peccatores. Sui oblationem faciet SS. Cordi Jesu vitam sacrificii in SS. Sacramento viventi, et dicet: *Amen*, cum intentione sibi aptandi ardentissimae ejus caritatis dispositiones. In hujusmodi spiritu visitabit SS. cum *Choro Virtutum.* Conabitur induere animum B. V. tum in purificatione primogenitum suum Aeterno Patri generose offerentis, tum juxta Crucem praesentia sua et consensu eundem viriliter immolantis. Actum consecrationis faciet quaque feria sexta.

Virtus. Mortificatio imaginationis et affectuum.

Jaculatoria.

Cor Jesu flagrans amore nostri,
Inflamma cor nostrum amore Tui.

IX. Zelator.

Zelator sollicite quaerat et in hoc glorietur, ut catenis illis oneretur, quae captivum in SS. Sacramento Cor Jesu vinciunt. Servitutis suae professionem saepe renovet, dicens: *O Domine, quia ego servus tuus;* et in omnibus quaerens voluntatem ejus facere atque propriam omnem

relinquere. In visitatione SS. Sacramenti offerat omnia sua opera bona ad impetrandum, ut omnes illi perfecte serviant. Orabit B. V. Mariam, ut aliquatenus imitetur dispositiones admirabiles illius Cordis, quando dixit: *Ecce ancilla Domini. Chorum Angelorum* invitabit ad quaerendos quamplurimos, qui SS. Cordi inserviant, et ter recitabit *Pater noster.*

Virtus. Perfecta obedientia.

Jaculatoria.

Cor Jesu flagrans amore nostri,
Inflamma cor nostrum amore Tui.

Litaniae de Sacro Corde Jesu.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.
Christe, audi nos. — Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus Sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Cor Jesu, Filii Patris aeterni,
Cor Jesu, in sinu Virginis Matris a Spiritu Sancto formatum,
Cor Jesu, Verbo Dei substantialiter unitum,
Cor Jesu, Majestatis infinitae,
Cor Jesu, Templum Dei sanctum,
Cor Jesu, Tabernaculum Altissimi,
Cor Jesu, domus Dei et porta coeli,
Cor Jesu, fornax ardens caritatis,
} miserere nobis.

Cor Jesu, justitiae et amoris receptaculum,
Cor Jesu, bonitate et amore plenum,
Cor Jesu, virtutum omnium abyssus,
Cor Jesu, omni laude dignissimum,
Cor Jesu, rex et centrum omnium cordium,
Cor Jesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae,
Cor Jesu, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis,
Cor Jesu, in quo Pater sibi bene complacuit,
Cor Jesu, de cujus plenitudine omnes nos accepimus,
Cor Jesu, desiderium collium aeternorum,
Cor Jesu, patiens et multae misericordiae,
Cor Jesu, dives in omnes qui invocant te,
Cor Jesu, fons vitae et sanctitatis,
Cor Jesu, propitiatio pro peccatis nostris,
Cor Jesu, saturatum opprobriis,
Cor Jesu, attritum propter scelera nostra,
Cor Jesu, usque ad mortem obediens factum,
Cor Jesu, lancea perforatum,
Cor Jesu, fons totius consolationis,
Cor Jesu, vita et resurrectio nostra,
Cor Jesu, pax et reconciliatio nostra,
Cor Jesu, victima peccatorum,
Cor Jesu, salus in te sperantium,
Cor Jesu, spes in te morientium,
Cor Jesu, deliciae Sanctorum omnium,

} miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

℣. Jesu mitis et humilis Corde.

℟. Fac cor nostrum secundum Cor tuum.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, respice in Cor dilectissimi Filii tui, et in laudes et satisfactiones, quas in nomine peccatorum tibi persolvit, iisque misericordiam tuam petentibus tu veniam concede placatus, in nomine ejusdem Filii tui Jesu Christi: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Deprecatio injuriarum, quae Sanctissimo Cordi Jesu in Altaris Sacramento inferuntur.

Has deprecationes numero viginti quatuor, quot nempe horae diei sunt, in quibus amabilissimum Cor Jesu in sanctissima Eucharistia per totum orbem varie offenditur, singulis hebdomadis feria V. vel VI., vel saltem semel in mense, praesertim autem ipso festo Sanctissimi Cordis ut recites, omnibus modis tibi suadeo. Quod si viginti tres amicos et devotionis tuae confoederatos habeas, omnes hae deprecationes inter singulos dividi atque sic quotidie tot hominum scelera, quae contra augu-

stissimum Cor in altaris Sacramento perpetrantur, utcunque cum maximo sane gaudio ejusdem amabilissimi Cordis compensari possent.

1. Divinissimum Cor Jesu, quod in Sanctissimo Altaris Sacramento nobiscum usque ad consummationem mundi habitare dignaris! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnem culpabilem illam tot mortalium oblivionem, qui de hoc immenso tuo amore raro cogitant, et rarius adhuc pro illo tibi grates agunt In compensationem Tibi offero continuas illas gratiarum actiones, quas Tibi divina Mater tua pro hoc ineffabili beneficio per omnem suam vitam persolvit, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

2. Divinissimum Cor Jesu, cujus deliciae sunt esse cum filiis hominum! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor tot mortalium negligentiam, qui Te in sanctissimo Sacramento in tot Ecclesiis expositum raro admodum visitant. In compensationem Tibi offero illam fere perpetuam adorationem, quam tot cathedralium et collegiatarum Ecclesiarum Canonici cum tot sacrorum Ordinum religiosis dies noctesque in psalmis et canticis Tibi exhibent, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

3. Divinissimum Cor Jesu, quod nihil ardentius, quam Te in sanctissimo Sacramento nobis intime unire desideras! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor illam acediam tot mortalium, qui, dum raro admodum ad sacram communionem accedunt, haec tua desideria frustrantur. In compensationem Tibi offero illa incensissima amoris desideria, inter quae primi Christiani cum sanctis Apostolis et Discipulis tuis quotidie ad Te sumendum accesserunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

4. Divinissimum Cor Jesu, sedes innocentiae et sanctitatis! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et execror omnia peccata et sacrilegia, quae, dum in sacra communione sumeris, perpetrantur. In compensationem Tibi offero tenerrimam illam innocentiam et sanctarum animarum devotionem, qua ad divinissimum convivium tuum unquam accesserunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

5. Divinissimum Cor Jesu, quod Te manibus Sacerdotum quotidie concredere dignaris! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnes irreverentias, quas hi Sacerdotes tui sive in offerendo Missae Sacri-

ficio, sive in distribuenda sacra Synaxi committunt. In compensationem Tibi offero omnem illam reverentiam, quam sancti Sacerdotes, Episcopi, et summi Pontifices in tractando sanctissimo tuo corpore et sanguine adhibuerunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

6. Divinissimum Cor Jesu, coram quo flectantur omnia genua coelestium, terrestrium et infernorum! Adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnia, quaecunque demum peccata et scelera, quae contra Te in amoris Tui Sacramento per totum terrarum orbem unquam perpetrata sunt. In compensationem Tibi offero omnem honorem et cultum, omnem reverentiam et amorem, qui Tibi in hoc ipso ineffabili mysterio ab ulla unquam creatura exhibiti sunt, et deinceps exhibebuntur, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

7. Divinissimum Cor Jesu, cujus veram in altaris Sacramento praesentiam fides tot miraculis confirmata me docet! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnem incredulitatem et vacillationem fidei circa hoc sanctissimum mysterium. In compensationem Tibi offero vivam illam fidem omnium

sanctorum Martyrum, qui in assertionem sanctissimi Sacramenti vitam et sanguinem suum profuderunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

8. Divinissimum Cor Jesu, veri et infinita reverentia dignissimi Dei! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnem garrulitatem, risum et cachinnos, quibus toties in templis tuis tam irreverenter haberis. In compensationem Tibi offero profundissimam illam reverentiam, quam inter continuas adorationes Tibi omnes Angeli in ecclesiis tuis exhibent, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

9. Divinissimum Cor Jesu, cujus pulchritudo et majestas omnium oculos in se convertere deberet! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnem curiositatem oculorum, et incompositos corporis gestus, quibus tua in altaribus praesentia adeo frequenter inhonoratur. In compensationem Tibi offero omnem illam modestiam sanctarum Virginum, qua coram Te unquam comparuerunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

10. Divinissimum Cor Jesu, cujus omnia desideria et motus unice in nostram salutem

intenti erant! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnes voluntarias distractiones, quae coram Te in templis tam proterve aut admittuntur, aut etiam quaeruntur. In compensationem Tibi offero omnem illam attentionem, quam sancti Confessores tui ad Te Sanctum Sanctorum attulerunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

11. Divinissimum Cor Jesu, quod toties in nostris altaribus Te ipsum aeterno Patri tuo pro nobis offerre dignaris! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnem culpabilem omissionem sanctissimi Sacrificii Missae. In compensationem Tibi offero illam devotionem, qua sanctae Viduae etiam pluribus sacrificiis adstitere, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

12. Divinissimum Cor Jesu, ultimum atque optimum morientium viaticum! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnem graviter aegrotantium moram circa illud petendum. Multo magis adhuc detestor et deprecor culpabilem sanctissimi hujus viatici omissionem. In compensationem Tibi offerro omnem illam curam, quam pii animarum Pastores mature muniendis sanctissimo Sacramento aegro-

tantibus impenderunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

13. Divinissimum Cor Jesu, in quo omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei sunt absconditi! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnem culpabilem ignorantiam circa ea, quae augustissimum amoris tui Sacramentum concernunt. In compensationem Tibi offero omnes illas curas et labores, quibus sive sancti Doctores, sive zelosi Catechistae in explanando hoc divinissimo mysterio unquam se in toto terrarum orbe dediderunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

14. Divinissimum Cor Jesu, castissimus Matris virgineae partus! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnia impura desideria, verba et opera, quibus unquam in templis tuis carnales homines Te offenderunt. In compensationem Tibi offero illa purissima corda hominum utriusque sexus, qui se Tibi emisso castitatis voto unice consecrarunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

15. Divinissimum Cor Jesu, quod cum ineffabili humilitate et mansuetudine Te in ama-

bilissimo altaris mysterio ipsis adeo inimicis tuis sub speciebus vini et panis sumendum porrigis! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnem rancorem, iram, odium et superbiam, quibus etiam in templis tuis toties offenderis. In compensationem Tibi offero omnem illam humilitatem et mansuetudinem, qua maximi etiam Principes, Reges et Imperatores, deposita omnis honoris et vindictae cupiditate, coram Te unquam comparuerunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

16. Divinissimum Cor Jesu, quod usque in mortem pro salute animarum tuarum zelasti! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnia scandala, quae in tua praesentia in detrimentum tot animarum committuntur. In compensationem Tibi offero omnem zelum, quo pii concionatores in omnia scandala in templis perpetrata invehuntur, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

17. Divinissimum Cor Jesu, Cor prae omnibus cordibus benedictum! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnes blasphemias, maledicta, execrationes et imprecationes, quibus mortales in altaris Sacramento Te violant et profanant. In

compensationem Tibi offero omnia omnium sanctorum Ecclesiae Patrum elogia et laudes, quibus Te extollunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

18. Divinissimum Cor Jesu, cujus cultui et adorationi omnes coeli et terrae divitiae debentur! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnia sacrilega furta, quibus tua templa exspoliantur, omnemque avaram tenacitatem in iis reparandis, aedificandis et exornandis. In compensationem Tibi offero omnem liberalitatem piorum fundatorum et benefactorum sanctorum aedium tuarum, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

19. Divinissimum Cor Jesu, quod toties per plateas circumferri, et ipsas adeo domos nostras subire dignaris! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et execror omnes negligentias et irreverentias, quae in Te comitando admittuntur. In compensationem Tibi offero omnem pietatem illarum sanctarum confraternitatum, quae promovendo tuo, etiam extra templa, cultui singularem curam impendunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

20. Divinissimum Cor Jesu, Cor veri Filii Dei, adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnes superstitiosas et magicas artes, quibus scelerati homines Te in sanctissimo Sacramento ad omnia flagitia, magistro diabolo, abutuntur. In compensationem Tibi offero omnem dolorem animarum poenitentium, quo et sua et aliorum contra Te in amoris Sacramento nobiscum habitans admissa scelera amarissimas inter lacrymas expiarunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

21. Divinissimum Cor Jesu, quod nunquam satis adorari a mortalibus potes! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnem languorem, et respectum humanum in devota coram Te manuum elevatione et profunda genuflexione facienda. In compensationem Tibi offero omnem illam adorationem profundissimarum reverentiarum, quae sive manibus, sive genibus pii altarium tuorum ministri Tibi unquam exhibuerunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

22. Divinissimum Cor Jesu erga homines liberalissimum! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnem injustitiam et negligentiam in administrandis pro

tuo cultu augendo factis piis fundationibus. In compensationem Tibi offero omnem curam et diligentiam, quam his sanctis fundationibus defendendis, et integre conservandis, aut etiam augendis pii toparchae, et templorum tuorum fabricis praefecti ubique terrarum impenderunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

23. Divinissimum Cor Jesu, pretiosissimum verae Ecclesiae monumentum! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnem crudelitatem et barbariem, quibus contra Te in sanctissimo Sacramento haeretici desaevierunt. In compensationem Tibi offero omnem illum singularem honorem, quem Tibi in hoc divinissimo mysterio certi ordines sive religiosi, sive militares, sive equestres deferunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

24. Divinissimum Cor Jesu, vera lux mundi! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnem voluntariam caecitatem et obdurationem Judaeorum, Turcarum, omniumque idololatrarum, quibus in aris nostris factus es scandalum et stultitia. In compensationem offero Tibi indefatigabilem illum zelum tot apostolicorum virorum, qui inter in-

credulas gentes, tanto cum labore augustissimum Eucharistiae Sacramentum praedicant, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

Brevior formula deprecationis.

1. Amantissime Jesu, qui in sanctissimo Altaris Sacramento nobiscum usque ad consummationem mundi habitare voluisti, adoro te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor culpabilem tot mortalium oblivionem, qui de hoc immenso tuo amore raro cogitant et rarius adhuc pro illo tibi gratias agunt, omnibusque meis votis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris.

Pater. Gloria Patri.

2. Amantissime Jesu, cujus deliciae sunt esse cum filiis hominum, adoro te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor tot mortalium negligentiam, qui te in sanctissimo Sacramento nobiscum habitantem raro admodum visitant, omnibusque meis votis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris.

Pater. Gloria Patri.

3. Amantissime Jesu, qui in sanctissimo Sacramento nobis intime uniri desideras, adoro

te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor tot mortalium acediam, qui raro admodum ad sacram communionem accedunt, omnibusque meis votis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris.

Pater. Gloria Patri.

4. Amantissime Jesu, sedes innocentiae et sanctitatis, adoro te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnia peccata et sacrilegia, quae in summenda sacra communione perpetrantur, omnibusque meis votis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris.

Pater. Gloria Patri.

5. Amantissime Jesu, qui te manibus sacerdotum quotidie concredere dignaris, adoro te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnes irreverentias, quas sacerdotes tui committunt, omnibusque meis votis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris.

Pater. Gloria Patri.

6. Amantissime Jesu, coram quo omnia genua flectantur coelestium, terrestrium et infernorum, adoro te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnia, quaecunque

demum peccata et scelera, quae contra te in amoris tui Sacramento per totum terrarum orbem perpetrantur, omnibusque meis votis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris.

Pater. Gloria Patri.

Oratio.

O divinum Cor Jesu, praesta, quaeso, animabus purgantibus requiem aeternam; hodie morituris gratiam finalem; peccatoribus veram poenitentiam; paganis fidei lumen; mihi meisque omnibus tuam benedictionem. Tibi ergo, Cor Jesu piissimum, omnes has animas commendo et pro ipsis tibi offero omnia tua merita una cum meritis beatissimae Matris tuae omniumque Sanctorum et Angelorum atque omnibus missarum sacrificiis, sacris communionibus, orationibus et bonis operibus, quae hodie in toto Christianorum orbe peraguntur.

(100 d. ind. semel in die. Leo XIII. 20. Mart. 1901.)

Visitatio imaginis SS. Cordis.

Indulg. 7. ann. et 7. Quadr. omnibus conceditur, qui imaginem SS. Cordis in ecclesia vel sacello vel quolibet altari expositam visitaverint et ad intentionem S. Pont. oraverint. (Pius VI. per Rescr. Nuntii ap. Flor. 2. Jan. 1799).

Preces sodalitiae,

quas alumni Oenipontani Convictus Theologorum Canisiani (quondam ad s. Nicolai) quotidie post Missam communitatis recitant pro suis in Convictu quondam sociis nunc in vinea Domini operaris.

(Indulg. privat.)

Antiphona. *Euntes ibant et flebant mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.*

Psalm. Laudate Dominum omnes gentes; laudate eum omnes populi:

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus; et veritas Domini manet in aeternum.

Gloria Patri. — Sicut erat etc.

℣. Oremus pro fratribus nostris absentibus.

℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in Te.

℣. Mitte eis Domine auxilium de Sancto.

℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Sacerdotes tui induantur justitiam.

℟. Et sancti tui exultent.

℣. Oremus pro sodalibus defunctis.

℟. Requiem aeternam dona eis Domine, et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

℣. Oremus pro benefactoribus nostris.

℟. Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad Te veniat.

Oremus.

Ecclesiae tuae Deus sanctificator et custos, suscita in ea, et praesertim in hocce Seminario tuo per Spiritum tuum idoneos et fideles sanctorum mysteriorum dispensatores, ut eorum ministerio et exemplo christiana plebs in viam salutis Te protegente dirigatur.

Concede, quaesumus, omnipotens Deus, ut qui in sanctissimo dilecti filii tui Corde gloriantes praecipua in nos caritatis ejus beneficia recolimus, eorum pariter et actu delectemur et fructu. Per eundem Ch. D. N. — ℟. Amen.

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum. — ℟. Amen.

Pridie ordinationis alumnorum subjunguntur usitatae

Litaniae D. N. Ch., Sacerdotis et Victimae.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.
Christe audi nos. — Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus,
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,

} miserere nobis.

Jesu, Sacerdos in aeternum,
Jesu, appellate a Deo Pontifex juxta ordinem Melchisedech,
Jesu, Pontifex quem unxit Deus Spiritu sancto et virtute,
Jesu, Pontifex magne,
Jesu, Pontifex ex hominibus assumpte,
Jesu, Pontifex pro hominibus constitute,
Jesu, Pontifex confessionis nostrae,
Jesu, Pontifex amplioris prae Moyse gloriae,
Jesu, Pontifex tabernaculi veri,
Jesu, Pontifex futurorum bonorum,
Jesu, Pontifex sancte, innocens, et impollute,
Jesu, Pontifex fidelis,
Jesu, Pontifex misericors,
Jesu, Pontifex benefice,
Jesu, Pontifex Dei et animarum zelo succense,
Jesu, Pontifex in aeternum perfecte,
Jesu, Pontifex qui penetravit coelos,
Jesu, Pontifex sedens ad dexteram Majestatis in excelsis,
Jesu, Pontifex nunc apparens vultui Dei pro nobis,
Jesu, Pontifex qui initiavit nobis viam novam et viventem,
Jesu, Pontifex qui dilexit et lavit nos a peccatis in sanguine suo,
Jesu, Pontifex qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo,

miserere nobis.

Jesu, Hostia Dei et hominum,
Jesu, Hostia sancta,
Jesu, Hostia immaculata,
Jesu, Hostia accepta,
Jesu, Hostia placabilis,
Jesu, Hostia solemnis,
Jesu, Hostia laudis,
Jesu, Hostia pacifica,
Jesu, Hostia propitiationis,
Jesu, Hostia salutis,
Jesu, Hostia in qua habemus fiduciam et accessum ad Deum,
Jesu, Hostia quae facis utraque unum,
Jesu, Hostia mactata ab origine mundi,
Jesu, Hostia vivens in saecula saeculorum,

} miserere nobis.

Propitius esto! Parce nobis Jesu.
Propitius esto! Exaudi nos Jesu.

Ab omni malo,
A temerario in clerum ingressu,
A peccato sacrilegii,
A spiritu incontinentiae,
A turpi quaestu,
Ab omni simoniae labe,
Ab indigna opum ecclesiasticarum dispensatione,
Ab amore mundi ejusque pomparum,
Ab indigna Mysteriorum celebratione,
Per aeternum sacerdotium tuum,
Per sanctam Divinitatis unctionem, qua a Deo Patre in sacerdotem inauguratus fuisti,

} libera nos Jesu.

Per sacerdotalem spiritum tuum,
Per ministerium illud, quo Patrem tuum super terram clarificasti,
Per cruentam tui ipsius immolationem semel in cruce factam,
Per illud idem sacrificium in altari quotidie renovatum,
Per divinam illam potestatem, quam in sacerdotibus tuis unicus et invisibilis Sacerdos exerces,
} libera nos Jesu.

Ut omnes ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris,
Ut fiat in illis spiritus sacerdotii tui,
Ut labia sacerdotum scientiam custodiant,
Ut in messem tuam mittas operarios inconfusibiles,
Ut ministros tuos efficias flammam ignis,
Ut suscites pastores secundum Cor tuum,
Ut omnes sacerdotio fungentes irreprehensibiles sint et sine macula,
Ut qui viderint ministros altaris, Dominum venerentur,
Ut sint tibi offerentes sacrificia in justitia,
Ut per eos Sanctissimi Sacramenti cultum ubique promovere digneris,
Sacerdos et victima!
} te rogamus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: miserere nobis.

℣. Jesu, Sacerdos, audi nos.

℟. Jesu, Sacerdos, exaudi nos.

Oremus.

Ecclesiae tuae, Deus, sanctificator et custos, suscita in ea, et praesertim in hocce Seminario tuo, per Spiritum tuum idoneos et fideles sanctorum mysteriorum dispensatores, ut eorum ministerio et exemplo christiana plebs in viam salutis te protegente dirigatur.

Deus, qui ministrantibus et jejunantibus discipulis segregari jussisti Paulum et Barnabam in opus ad quod assumpsisti eos, adesto nunc Ecclesiae tuae (jejunanti et) oranti, et tu, qui omnium corda nosti, ostende quos elegeris in ministerium. Per Christum D. N.

Exercitium Viae Crucis.

A. Conditiones Viae Crucis.

1. Si hoc exercitium privatim fiat, sufficit meditari quamvis breviter de passione Domini, quod est opus injunctum ad acquirendas sacras indulgentias[1]*; et personis simplicibus sufficit cogitare*

---

[1]) *Clemens PP. XII.:* Avvertimenti necessarii per ben regolare il divoto esercizio della Via crucis d. d. 3. April. 1731 coll. Decret. S. Congreg. Indulgent. d. d. 16. Febr. 1839: „Non quidem necessarium,

aliquo modo eorum capacitati accomodato de supradicta passione; quamvis omnes hortemur, obligationem tamen non imponendo, ut unum Pater et Ave recitent[1]*).*

2. Licet pro acquirendis indulgentiis aliquis corporis motus requiratur[2]*), in publico viae crucis exercitio tamen methodus a s. Leonardo a Portu*

---

expediens tamen erit, legere meditationes seu preces illis passionis mysteriis correspondentes," necnon Decret. ejusdem S. Congreg. Indulg. d. d. 2. Jun. 1838: „Recitatio orationis Dominicae et angelicae salutationis tam pro unaquaque Viae Crucis statione quam sexies ipsas preces iterare post absolutas omnes stationes est tantum laudabilis consuetudo a nonnullis inducta, minime vero necessaria ad lucrifaciendas hujus Viae Crucis indulgentias."

[1]) Benedict. PP. XIV.: Not. ad l. c.

[2]) „De una ad aliam stationem transeundum est, quantum id permittit sive multitudo personarum Viam Crucis peragentium sive angustia loci, in quo stationes erectae sunt." (Decret. S. Congreg. Indulgent. d. d. 30. Sept. 1837 et 26. Febr. 1841.) -- Nostrae huic Provinciae Salisburgensi tamen *de speciali gratia in exemplum non afferenda* concessum est Rescripto S. Congregationis Indulgent. et SS. Reliq. d. d. 10. Mart. 1868, ut motus iste corporis de statione ad stationem non requiratur, sed sufficiat, *ut Christifideles saltem in loco, ubi manent, pro qualibet Viae Crucis statione assurgant et genuflectant.* (Brixener Diöcesanblatt, 1868, p. 28.)

Mauritio proposita rite servatur, ut videlicet unoquoque de populo suum locum tenente sacerdos cum duobus clericis sive cantoribus circumeat, ac sistens in qualibet statione ibique recitans peculiares consuetas preces, caeteris alternatim respondentibus[1]).

B. Preces Stationum.

Statio I.

Christus ad mortem condemnatur.

Ave Jesu! qui damnaris,
Et ad crucem mox raptaris
Sic jubente praeside.
Fac o Jesu! ut loquendo
Et judicium ferendo
Parcam innocentiae.

Statio II.

Jesus suscipit crucem super humeros.

Ave Jesu! qui onustus
Gravi cruce, etsi justus,
Ad tormenta properas.
Fac o Jesu! ut amanter
Hauriam, sed et constanter
Omnes hic miserias.

Statio III.

Jesus prima vice cadit sub cruce.

Ave Jesu! qui jam fessus,
Gravi crucis jugo pressus,

[1]) Decret. S. Congreg. Indulg. d. d. 23. Jul. 1757.

Prima vice laberis.
Fac o Jesu! ut deplorem
Primum casum et errorem
Copiosis lacrimis.

Statio IV.

Jesus crucem bajulans occurrit Matri suae dolorosissimae.

Ave Jesu! cujus pia
Venit genitrix Maria
Luctu plena obviam.
Fac o Jesu, ut Maria
Duce quaeram Te in via
Crucis, et inveniam.

Statio V.

Jesus a Simone Cyrenaeo in bajulatione crucis adjuvatur.

Ave Jesu! quem ut ducem
Simon, portans tuam crucem,
Sequi tandem debuit.
Fac o Jesu! sim amicus
Crucis, vani inimicus
Mundi, qui Te respuit.

Statio VI.

Veronica Christo sudarium praesentat.

Ave Jesu! cujus vultum
Sputis, plagis tot incultum
Terserat Veronica.

Fac o Jesu! probra gentis
Reparem in Te furentis
  Caritate coelica.

Statio VII.

Secundus lapsus Jesu ad portam.

Ave Jesu! cujus cursum
Ingens pondus sistit rursum.
  Ecce! cadis denuo.
Fac o Jesu! ne peccata
Sacramento expiata
  Repetam perpetuo.

Statio VIII.

Jesus filias Jerusalem flentes alloquitur.

Ave Jesu! qui jussisti
Flere semet planctu tristi
  Filias Jerusalem.
Fac o Jesu! ut hanc meam
Conscientiam tam ream
  Serio examinem.

Statio IX.

Jesus ad ascensum montis Calvariae tertio cadit.

Ave Jesu! qui sub ligno
Tuis humeris indigno
  Tertio jam concidis.
Fac o Jesu! ut non cadam

Nec incautus largas vadam
Vias consuetudinis.

Statio X.

Jesus vestibus nudatur, et felle potatur.

Ave Jesu! qui nudaris,
Felle etiam potaris
Ob intemperantiam.
Fac o Jesu! ut me veste
Semper contegam honeste,
Gulae non indulgeam.

Statio XI.

Jesus cruci affigitur.

Ave Jesu! humi stratus
Cruci fixus, elevatus,
Quanta pro me pateris!
Fac o Jesu! ut per crucem
Impetrem aeternam lucem
Liberatus inferis.

Statio XII.

Jesus in cruce levatur, et moritur.

Ave Jesu! dira sorte
Ac funesta crucis morte
Denique qui moreris.
Fac o Jesu! ut hora mortis
Fide, spe, amore fortis,
Dolos vincam daemonis.

Statio XIII.

Jesus de Cruce deponitur.

Ave Jesu! corpus tuum
In sinum Maria suum
Recipit moestissima.
Fac o Jesu! ut dolorem
Piae Matris et amorem
Mente colam intima.

Statio XIV.

Sepultura Christi.

Ave Jesu! colo multum
Corpus tuum jam sepultum
Glorioso tumulo.
Fac o Jesu! ut frequenter
Tuum Corpus et ardenter
Corde sumam limpido.

Oratio de passione Domini.

(E Rituali Romano.)

Deus, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, a judaeis reprobari, a Juda traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annae, Caiphae, Pilati et Herodis indecenter offerri, a falsis testibus accusari, flagellis et opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis caedi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari,

felle et aceto potari et lancea vulnerari: Tu, Domine, per has sanctissimas poenas tuas, quas ego indignus recolo, et per sactam crucem et mortem tuam libera me a poenis inferni, et perducere digneris, quo perduxisti latronem tecum crucifixum. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen. *(Indulgent.)*

Commendatio sui ad B. V. M.

O Domina mea, sancta Maria, Mater Dei ac mea, me in tuam benedictam fidem ac singularem custodiam et in sinum misericordiae tuae hodie, quotidie et in hora exitus mei animam meam et corpus meum tibi commendo. Vocationem meam, omnem spem et consolationem meam, omnes angustias et miserias meas, vitam et finem vitae meae tibi committo, ut per tuam sanctissimam intercessionem et per tua merita dirigantur et disponantur cogitationes, verba et opera omnia mea secundum tuam tuique Filii voluntatem. Amen.

Preces pro Summo Pontifice.

Ant. Petrus quidem servabatur in carcere, oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.

Psalm. Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animae meae: Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Domine, susceptor meus es: gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi: et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi et soporatus sum: et exsurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: exsurge, Domine, salvum me fac Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus: et super populum tuum benedictio tua.

Gloria Patri.

Sub tuum praesidium confugimus, sancta Dei genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta: Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repraesenta.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro N., et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis aeternae: ut te donante tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat.

O dulcissime Jesu, per quem et in quo orant omnes fideles tui, excipe has preces in sacrario Cordis tui, easque cum infinitis meritis tuis Patri aeterno tamquam mediator bonus repraesenta, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Promissa Christi Domini iis,
qui suo Cordi essent devoti, per B. Marg. Alac. facta.

I. Pro cultu universo.

„Amantissimus Dominus mihi aperuit — ita scribit B. Margarita — cupere se vehementer ab hominibus redamari: seque hoc desiderio excitatum statuisse, Cor suum illis manifestare atque hunc thesaurum amoris et misericordiae gratiarumque omnium ad salutem et perfectionem conducentium reserare eo consilio, ut quotquot sibi, quantum possent, amorem atque honorem reddere et acquirere vellent, prodige infinitarum, quas complectitur, divitiarum participes fierent: affirmans praeterea, cultum illum peculiarem Cordi suo delatum sibi esse acceptissimum . . . denique hanc ipsam devotionem unum ex ultimis amoris sui effectibus atque conatibus esse atque ea Christianos hac extrema mundi aetate viventes proprio quodam modo locupletari atque ornari, cum tam idoneum et objectum et instrumentum ad ipsius amorem et eum quidem solidum excitandum iis proponeretur."

„Thesauri benedictionum et gratiarum,“ ita refert B. Margarita ea, quae Christus Dominus ei dixerat, „qui hoc Corde continentur, sunt infiniti. Nescio an ulla pietatis exercitatio in vita spirituali magis accommodata sit ad evehendum brevi animum ad culmen perfectionis et ad exhibendas ei veras illas dulcedines, quae in famulatu Christi Domini inveniuntur. Sane fidenter dico: Si scirent homines, quam hoc pietatis genus Jesu Christo sit gratum, profecto nemo Christianus, quamvis exigui erga hunc amabilem Servatorem amoris, eo non uteretur.“

2. Pro certa forma cultus.

a) *Pro consecratione sui ipsius.*

„Nemo eorum, qui illi devoti erunt et vere consecrati,“ ita B. Margaritae promisit Christus, „unquam peribit.“

b) *Pro Communione primae feriae sextae novem mensibus continuis accepta.*

„Infinita misericordia Cordis mei motus polliceor, amore ejus omnipotenti omnibus, qui prima quaque novem deinceps mensium feria sexta ad sacram Communionem accesserint, concessum iri gratiam finalis poenitentiae, nec eos morituros esse nisi reconciliatos cum hoc divino Corde ac receptis Sacramentis morientium, quia divinum meum Cor tutum ejus perfugium erit e vita discedentibus.“

c) *Pro propagatione cultus.*

„Spondeo, eos omnes, qui hoc honore (diei festi SS. Cordis) Cor meum affecerint et ab aliis afficiendum curaverint, ipsius divini Cordis favore coelestium gratiarum copia cumulatum iri."

3. Promissa sacerdotibus et viris apostolicis.

„Divinus meus Salvator edocuit me, eos, qui saluti animarum juvandae operam darent, artem esse adepturos vincendi ingenia obstinatissima et admirabiles laborum suorum fructus esse percepturos, si ipsi tenera erga suum divinum Cor pietate sint imbuti."

(Ex: Nix S. J. Cultus SS. Jesu.)

Rescriptum S. Congr. Indulgentiarum

quo conceditur indulgentia centum dierum Christifidelibus speciali formula rectae intentionis utentibus.

Beatissime Pater.

In hac tam effraenata temporum nequitia, quibus uti impietas favorem obtinet, ita religio patitur hostilitatem, magnum profecto affert solamen quotidianum incrementum devotionis erga Sanctissimum Cor Jesu Christi, ejusque dilatatio penes quemcumque Christifidelium coetum, inter quos sane multi singulari perfectionis desiderio elati sibi proponunt unice vivere honori et gloriae compatientis divini Cordis in eum finem, ut totis viribus contendant, vicem aliquam illi rependere pro tot impiorum hominum sceleribus ingratique animi, amaritudine.

Jamvero inter alias pias praxes una eaque communior profitentibus devotionem erga SSmum. Cor Jesu exstat quotidiana nimirum oblatio, mane peragenda, omnium actionum per diem perficiendarum eidem SSmo. Cordi Jesu, qui in Sacramento altaris quum noster cibus factus sit, noster concivis et comes, immo nostra victima in hoc eodem Sacramento parvipenditur et contemnitur.

Jam vero plurimi Christifideles quum valde cupiant prae manibus habere precatoriam formulam, per quam, tota animi effusione, exprimere possint quotidianam oblationem SSmo. Cordi Jesu

eadem concinnata fuit, prout huic supplici libello supponitur. Ut autem haec pia praxis tam salutaris inter fideles magis propagetur, Henricus Vasco e S. J. ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus enixe petit, et Christifidelibus memorata formula utentibus pro recta intentione peragenda aliquam indulgentiam benigne concedere dignetur.

Quam gratiam.

Formula rectae intentionis.

Domine Jesu Christe, in unione illius divinae intentionis, qua ipse in terris per Sacratissimum Cor tuum laudes Deo persolvisti, et nunc continenter in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento ubique terrarum persolvis usque ad consummationem saeculi, ego per hanc diem integram, nulla minima parte excepta, ad imitationem Sacratissimi Cordis B. Mariae semper Virginis Immaculatae, Tibi offero omnes meas intentiones et cogitationes, omnes meos affectus et desideria, omnia mea opera et verba.

SSmus. Dnus. Noster Leo Papa XIII. in audientia habita die 19. Decembris 1885 ab infrascripto Secretario S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne concessit indulgentiam centum *dierum, semel in die lucrandam ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui, corde saltem contrito, exhibitam precem devote recitaverint. Etc. Etc.*

Intentiones Breviarii.

Die Dominica. — In hon. SS. Trinitatis, pro beneficio creationis, redemptionis, sanctificationis, vocationis ad veram fidem, ad statum clericalem, pro omnibus et singulis gratiis a Deo unquam perceptis aut percipiendis; pro omni clero, pro universa Ecclesia, pro conversione omnium peccat., haeretic., schismaticorum et infidelium.

Feria II. — In honorem nostrorum Patronorum, Sanctorum N. N.; pro versantibus in periculo aeternae salutis; pro parentibus, fratribus, sororibus, consanguineis; pro benefactoribus et amicis; pro animabus in purgatorio omnibus, et speciatim pro illis, quibus singulari modo obstricti sumus, quarum nulla memoria est, quae redemptioni proximae sunt.

Feria III. — In honorem SS. Angelorum Custodum mei ac meorum; pro innocentibus ac simplicibus in periculo constitutis, ubi facile seducerentur aut corrumperentur; in gratiarum actionem pro malis eorum interventu a nobis aversis et pro bonis collatis aut impetratis, eorum tutelae tum nos, tum nostros de novo commendando et pro vita et pro morte.

Feria IV. — In honorem SS. Apostolorum et Patronorum patriae, dioeceseos et parochiae; pro Papa, Episcopis et Principibus et eorum consiliariis; pro patria, pro dioecesi nostra ejusque clero; pro seminario et singulis ejus membris, pro parochianis nostris in genere, et

pro aegris, miseris, tentatis, et nostrae curae magis commissis in specie.

Feria V. — In honorem SS. Eucharistiae, pro singulis sacris Communionibus et omnibus et singulis gratiis a Deo Eucharistico in nos profectis aut profecturis: in satisfactionem pro omnibus irreverentiis, injuriis, et peccatis aut a nobis, aut per nos ab aliis erga Sanctissimum admissis aut commissis, pro gratia nunquam indigne suscipiendi aut indigne tractandi aut indigne dispensandi S. Communionem, pro gratia nunquam indigne, sed semper devote celebrandi S. Missam, et Sacrum Viaticum in articulo mortis opportune, pie ac salubriter accipiendi.

Feria VI. — In honorem passionis et mortis D. N. Jesu Christi; pro omnibus justis, peccatoribus, moribundis, et agonizantibus et proxime in tribunali divino judicandis; in satisfactionem pro peccatis nostris, pro gratia verae poenitentiae, finalis perseverantiae, et bonae mortis.

Die Sabbati. — In honorem B. V. Mariae, pro gratia fidei, spei, caritatis, humilitatis, modestiae, devotionis, castitatis, aut alterius virtutis nobis maxime necessariae; pro congregationibus et religiosis ordinibus, pro juventute pie ac debite educanda, pro depellendis et suffocandis et praecavendis machinationibus contra Ecclesiam et civitatem, pro sodalibus Marianis et pro omnibus cultoribus B. V. Mariae.

Intentiones ad horas Breviarii in hon. SS. Cordis Jesu.

	Cum	in honorem	in gratiarum actionem	in satisfactionem	in impetrationem
Ad Matutinum	Beatissima et S. Josepho	Cordis Deum Patrem et nos homines tenerrime amantis	Hujus duplicis amoris et omnium ejus actuum	Huic sanctissimo Cordi maxime olim devotarum animarum in purgatorio	Augmenti devotionis publicæ erga hoc sanctissimum Cor in aliis
Ad Laudes	Sanctis Angelis	Cordis divino-humani mitis, humilis, fidelis, liberalis	Omnium perfectionum hujus sanctissimi Cordis	Frequentis erga hoc S. Cor infidelitatis in violatis proposit.	Majoris amoris Dei et proximi in corde meo
Ad Primam	B. Margarita Maria Alacoque	Cordis formati a Spir. S., sumpti de carne Beatissimae	Omnium honorum quos S. Cor hoc ab hominibus accepit	Nimii timoris et respectus hominum	Magnanimitatis solum Deum timentis
Ad Tert.	Familia et progenitor. Christi	Cordis pleni dulcedine divinit. et dolore human.	Hujus Cordis dolorum et gaudiorum	Vulneris post mortem accepti	Effluentis sanguinis et aquae super anim. meam
Ad Sextam	Sancto Francisco Seraphico et s. Clara	Cordis tot satiati opprobriis in passione et irreverentiis in S. Sacramento	Ejus Cordis in passione et SS. Sacramento habitæ nobiscum patientiae	Nostrae versus hoc Cor irreverentiae in SS. Sacramento	Majoris devotionis ad s. hoc Cor in sacramento Altar., Missa et Commun.
Ad Nonam	Sancto Joan. Evangelista, s. Thoma	Cordis vulnere, cruce, corona, flamma se ab omni Corde distinguentis	Revelatae hujus devotionis ad ss. Cor suum	Multorum obliviosae ingratitudinis erga hoc Ss. Cor	Majoris fiduciae in Ss. Cor et ejus devotionem
Ad Vesperas	Sancto Aloysio	Cordis optimi, sapientissimi, nobis omnia sua merita transcribent.	Extremae et dolorosissimae palpitationis in Cruce	Peccati huic sanctissimo Cordi maxime exosi	Majoris Compassionis cum hoc s. Corde maxime in oliveto
Ad Complet.	Omnibus ei devotis adhuc vivent.	Adorantis Patrem, adorabilis in se, adorati ab omni creatura	Dignitatis infinitae hujus Cordis ob divinitatem	Meae tepiditatis in adorando hoc sancto Corde	Majoris erga id devotionis in me

Appendix ex ritu graeco.[1])

Ἀκολουθία τοῦ ἀκαθίστου τῆς γλυκυτάτης καὶ ἁγιωτάτης Καρδίας τοῦ Ἰησοῦ[2]):

Officium acathisti dulcissimi et sacratissimi Cordis Jesu:

ad rubricas ritus graeci in lingua slavo-liturgica compositum indeque ab ipso auctore[3]) *latine redditum atque a Sede Apostolica concessis indulgentiis commendatum*[4]).

---

[1]) De cultu SS. Cordis Jesu in ecclesia orientali videantur, quae referuntur in *Kalendario utriusque ecclesiae*, t. 2, pp. 479 seqq. atque in cit. opere *de festis utriusque SS. Cordis*, t. 2, pp. 284 seqq.

[2]) In Proprio Italo-graecorum SS. Cor Jesu solemniori liturgica formula appellatur ἡ τιμιωτάτη Καρδία τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, pretiosissimum Cor Domini et Dei et Salvatoris Nostri Jesu Christi. Cfr. *De festis utriusque SS. Cordis*, t. 1, p. 488.

[3]) Adm. Rev. D. Isidor. Dolnicki, director spiritual. seminarii rit. gr. Leopoli, in Galicia, qui pro singulari sua humanitate ac benevolentia egregium opus suum Pi. Nilles mittere dignatus est.

[4]) Decret. S. Congregat. de Propaganda fide pro negot. oriental. 14. Oct. 1892.

Praemonit. *De terminis technicis ritus graeci fuse actum est in* Kalendar. utr. eccles., *t. 1, pp. LVII seqq. — Exinde circa quattuor nomina liturgica in praesenti officio occurrentia pauca haec accipe.*

Ἀκολουθία *proprie est ordinata precum vel divinarum laudum dispositio, translate vero ipsum divinum officium rite ordinatum (p. LVII).*

Ἀκάθιστος *(sc.* ὕμνος*) dicitur officium, quod stando, non considendo, celebratur (Kalend. t. 2, pp. 154 seqq.) — Constat ex 24 strophis, ex quibus breviores* (κοντάκια) *cum longioribus* (οἶκοι) *alternantur. — Breviores desinunt in „Alleluja"* [1]*), longiores terminantur per salutationem* (χαῖρε) *pluries repetitam. Sed ea de re plura videsis in cit.* Kalend. *t. 2, pp. 166 seqq.*

Κοντάκιον *vocatur hymnus brevior, laudes alicujus Sancti vel rationes festi paucis complectens (Kalend. t. 1, p. LX). —* Κοντακίῳ *opponitur* οἶκος, *ut eo amplius et diffusius;* οἶκος *enim est hymni genus, in Dei, vel Sancti alicujus laudem ita constructum, ut quasi aedificium fabricamque virtutum ejus et gloriae videatur componere. Graeci vocabuli* οἶκος *insignis quaedam significationis vicinia deprehenditur esse cum voce „stanze", qua Itali poëmatum suorum strophas appellant (Ibid.)*

---

[1]) Excepta prima stropha, quae habetur instar troparii prooemialis desinentis in salutationem. Caeterum de usu cantici „Alleluja" in ritu graeco, cfr. cit. Kalend. t. 2, pp. 17—18.

'Ακάθιστος εἰς τὴν γλυκυτάτην Καρδίαν τοῦ 'Ιησοῦ.	Acathistos dulcissimo Cordi Jesu.

Κοντάκιον α'.

Imago coaeterna gloriae paternae, caritate descendisti ad nos Verbum Dei, propter nos factum homo; et posita pro nobis anima tua, restituisti in nobis imaginem Dei. Ideo divino Cordi tuo grato animo canimus: Ave dulcissimum Cor Jesu, inflammatum amore erga filios hominum!

Οἶκος α'.

Conceptus in utero immaculatae matris tuae primos benedicti Cordis tui affectus elevasti pro salute nostra, Jesu, praeparans ex tunc corpus tuum ad sacrificium Golgothae pro peccatis nostris, dicens ad Patrem tuum coelestem: „Sacrificium et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi ... Tunc dixi: ecce venio“[1]). Quapropter quiescentem te in utero sempervirginali, tamquam agnum immaculatum, laturum peccata mundi, cum Cherubim ac Seraphim proni adoramus, et affectibus beatissimae matris tuae compellamus:

Ave Cor Jesu, plus quam Angelos nos diligens![2])

---

1) Psalm. 39. 7.

2) S. Thom. in Hebr. II. 16.

Ave Cor Jesu, iniquitates nostras sibi appropriaus!

Ave Cor Jesu, amoris sancti odorem in nos effundens!

Ave dulcissimum Cor Jesu, inflammatum amore erga filios hominum!

Κοντάκιον β'.

Tibi desponsanti sibi naturam nostram in ventre immaculatae matris tuae, cum lampadibus plenis oleo tuae gratiae occurrimus, canentes tibi coelesti sponso nostro epithalamium hymnum Alleluja.

Οἶκος β'.

Vulpes foveas habent, et aves coeli nidos; tu autem, qui contines omnia tamquam Deus, et imples omne animal benedictione, non habuisti, ubi caput reclinares; et propter amorem nostri rejectus e diversorio, natus es in antro, et positus fuisti in praesepi inter jumenta, tu qui sedes super Cherubim, ut nos honorares mansionibus coelestibus et consortio Angelorum; et primum fletum misisti, ut lacrimis tuis lavares iniquitates nostras, et praeservares nos a fletu aeterno; et fasciis involutus fuisti, ut nos solveres a vinculis peccatorum. Ideo divitias amoris tui admirantes, canimus:

Ave Cor Jesu, de gloria in altissimis exultans!

Ave Cor Jesu, de pace in terra gestiens

Ave Cor Jesu, de complacentia Patris tui coelestis in hominibus sese delectans!

Ave dulcissimum Cor Jesu, inflammatum amore erga filios hominum!

Κοντάκιον γ

Illuminati a gloria tua, sicut pastores, et directi stella fulgoris tui, sicut reges Magi, adoramus te jacentem propter nos in antro Bethlehem, Jesu; et offerimus tibi, tamquam aurum, thus et myrrham, confessionem tui regni, et tuae Divinitatis, et mortalis propter nos humanitatis, canentes investigabili amori Cordis tui angelicum hymnum Alleluja

Οἶκος γ'.

Unigenitus Filius Patris tu coelestis, descendisti ad nos, Salvator, occulte, sicut olim pluvia in vellus, et primos triginta conversationis tuae cum hominibus annos, propter nos traduxisti in abscondito, in humilitate, in paupertate, in laboribus, in indefesso certamine precum pro salute nostra, subjiciens te per omnia parentibus tuis terrenis; incumbens autem arti lignariae, ut jugiter haberes ante oculos lignum Crucis[1]), quo redempturus eras nos mancipatos satanae per ignum mortiferum. Ideo

---

[1]) Chrysost.

immensurabili profunditati amoris Cordis tui canimus:

Ave Cor Jesu, obedire hominibus propter Deum nos erudiens!

Ave Cor Jesu, humilia sapere nos sublevans!

Ave Cor Jesu, ad laboriositatem nos animans!

Ave dulcissimum Cor Jesu, inflammatum amore erga filios hominum!

Κοντάκιον δ'.

Sedenti tibi in solio sublimi et elevato, et accipienti trisagium hymnum a sex alarum Seraphinis[1]), minorato autem modo peregrino in paupere domuncula Nazareth, una cum immaculata tua matre et beatissimo ejus sponso stupentes, canimus Alleluja.

Οἶκος δ'.

Post consummationom triginta annorum vitae tuae privatae, unctus ab initio a Spiritu Domini, et certans quadraginta dierum jejunio in deserto, et tentatus ibidem a satana, egressus es in praedicationem anni Domini accepti, et perseverans in ea tres annos, sustinuisti aestus et frigus, vigilias et labores, paupertatem et persecutiones cum omni longanimitate, mansuetudine et humilitate; perambulans autem inces-

[1]) Isai. VI. 1. et Jo. XIII. 41.

santer pedestri itinere terram sanctam, benefaciendo et sanando omnes, implesti eam miraculis innumerabilibus. Absolvisti peccatores, manducasti et bibisti cum publicanis, ut sanares infirmitates eorum, malignis minitatus es, ut poeniterent et non perirent; omnes colligens tamquam gallina pullos suos sub alas suas; noctu, tamquam Jacob cum angelo, contendisti precibus cum Patre tuo coelesti de salute nostra. Ideo memoriam facientes hujus incomprehensibilis amoris Cordis tui erga nos, clamamus canentes:

Ave Cor Jesu, bonitatis pelagus!

Ave Cor Jesu, misericordiae solium!

Ave Cor Jesu, sacrificium juge amoris!

Ave dulcissimum Cor Jesu inflammatum amore erga filios hominum!

Κοντάκιον ε΄.

Discite a me, quoniam mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris, dixisti Salvator noster misericordissime; ideo praebe nobis gratiam imitandi te Deo digne, lenitati autem et humilitati Cordis tui digne canendi Alleluja.

Οἶκος ε΄.

Videns, Jesu, dilectum tuum amicum Lazarum quatriduanum in sepulchro, indoluisti Corde tuo divino, et lacrimatus es, ita ut dicerent Judaei: „Vide, quomodo dilexit eum“; suscitans

autem eum ex mortuis, mutasti planctum Mariae et Marthae in gaudium. Verum sub forma Lazari lacrimatus es super universo dilecto tibi genere humano, mortuo tibi per peccatum; suscitaturus vero ipsum ex morte animae, in novissimo autem die etiam ex morte corporis, coarctabaris amore Cordis tui, desiderans primum ipse gustare pro eo mortem, et condi in sepulchro. Ideo et nos admirantes ineffabilem amorem Cordis tui erga nos, cum excessu mentis nostrae exclamamus: Videte quomodo dilexit nos! et grato animo concinimus:

Ave Cor Jesu, infinite amans, et infinite amandum!

Ave Cor Jesu, de morte nostra profunde contristatum!

Ave cor Jesu, mortis aculeum in nos virtute amoris tui obtundens!

Ave dulcissimum Cor Jesu, inflammatum amore erga filios hominum!

Κοντάκιον ϛʹ.

Antequam patereris, desiderio Cordis tui desiderasti manducare nobiscum ultimum Pascha legale, ut nos meliori Paschate dignareris in regno Patris tui, inenarrabili amori Cordis tui canentes Alleluja.

Οἶκος ϛ΄.

Discedens ad Patrem tuum coelestem, non es passus separari a nobis, sed reliquisti nobis te ipsum sub speciebus panis et vini sacrificium juge, et manna coeleste in viaticum versus terram promissionis supernam. Nobiscum ergo conversans, o Pastor bone, nutris nos immaculata tua carne, et potas pretioso tuo sanguine; commisces te nobis in unum, tamquam commiscentur partes cerae liquefactae; rex autem gloriae existens, intras comitatus aula tua coelesti sub nostra quamvis paupera tecta, et consolaris et confirmas nos in supremo agone nostro. Quare stupentes extremam Cordis tui condescendentiam erga nos, canimus ita:

Ave Cor Jesu, in s. Missa jugiter pro nobis sese immolans!

Ave Cor Jesu, in s. communione in vitam aeternam seipso nos alens!

Ave Cor Jesu, in ss. mysteriis usque ad consummationem saeculi nobiscum manens!

Ave dulcissimum Cor Jesu, inflammatum amore erga filios hominum!

Κοντάκιον ζ΄.

Habentes te, Salvator, panem angelorum, omne delectamentum in se habentem, ne convertamur cordibus nostris in Aegyptum cu-

piditatum carnalium, sed sentiamus dulcedinem ejus, et dulcedinem ineffabilem Cordis tui, canentes ei Alleluja.

Οἶκος ζ'.

Ceu olim προπάτωρ tuus David, circumventus fraude intimi sui consiliarii, et persecutionem sustinens sui proprii filii, transibat cum fideli suo comitatu Cedronem, et tristis et flens ascendebat montem olivarum, sic et tu, Salvator, dolo circumventus impii Judae, et persecutionem sustinens cognatorum tibi Judaeorum, transivisti eundem cum fidelibus tuis apostolis, et tristatus et afflictus fuisti in eodem monte. Licet autem propter infirmitatem carnis orares Patrem tuum coelestem, ut transferret a te calicem passionis, attamen spiritu Cor tuum coarctabatur baptizari baptismo ejusdem passionis; et voluntarie sustinuisti in monte olivarum agonem sanguineum, ut ungeres nos oleo tuae gratiae, et faceres nos luctatores, certantes pro immarcescibili corona gloriae. Hinc incomprehensibili amori Cordis tui canimus:

Ave Cor Jesu, propter nos usque ad mortem contristatum!

Ave Cor Jesu, usque ad sudorem sanguinis pro nobis agonizans!

Ave Cor Jesu, agonis nostri virtus insuperabilis, et calicis nostri dulcoramentum!

Ave dulcissimum Cor Jesu, inflammatum amore erga filios hominum.

Κοντάκιον η'.

Alapas, sputa, humiliationes, vulnera, metuenda flagella, et coronam spineam sustinuisti Dominus et Deus noster, ut nos eriperes a tormentis aeternis, et dignareris honoribus et coronis coelestibus canentes inscrutabili amori Cordis tui Alleluja.

Οἶκος η'.

Coelum et terra obstupescant de abysso amoris tui erga nos, Fili Dei! Etenim propter nos inter latrones in cruce nudus pendes, pondere immaculati tui corporis indesinentem vulnerum per clavos dilatationem, et inenarrabilem dolorem pateris; in siti tua aceto ac felle potaris; dolore benedictae matris tuae magis vulneraris; insuper et a Patre tuo sine consolatione derelinqueris. Attamen in mari dolorum et amaritudinis amantissium tuum Cor contra inimicos tuos non indurescebat, sed fiebat tamquam cera liquescens in medio ventris tui, et orasti Patrem tuum coelestem pro eis, excusans eos et dicens: Pater, dimitte illis, nesciunt enim quid faciunt; et latroni poenitenti paradisum promisisti, dicens: Hodie mecum eris in paradiso.

Quare stupentes immensum amorem Cordis tui, clamamus:

Ave Cor Jesu, passionum horribilium victima voluntaria!

Ave Cor Jesu, mansuetudinis et patientiae abyssus immensurabilis!

Ave Cor Jesu, altare ignis amoris inextinguibilis!

Ave dulcissimum Cor Jesu, inflammatum amore erga filios hominum!

Κοντάκιον θ'.

Qui es super omnia Deus benedictus in saecula, factus es pro nobis maledictum, clavis affixus ligno, et redemisti nos a maledictione antiqua. Ideo semper benedicentes te ineffabili amori Cordis tui canimus Alleluja.

Οἶκος θ'.

Majorem caritatem hac nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis, dixisti, Salvator; etenim pro justo vix aliquis audeat mori: tu autem statuisti caritatem tuam in nos, quoniam pro nobis peccatoribus et inimicis mortuus es. Carne autem soporatus in cruce, ex latere simul et Corde tuo vulnerato emisisti sanguinem et aquam, ex quibus Pater tuus coelestis aedificavit tibi nos sponsam Ec-

clesiam sanctam, quam amore Cordis tui inseparabili dilexisti! Hinc Cordi tuo vulnerato amore nostri canimus:

Ave Cor Jesu, desponsatione tua divina abjectos nos honorans!

Ave Cor Jesu, amore Seraphinis incomprehenso nos prosequens!

Ave Cor Jesu, usque ad mortem amore pro nobis tabescens!

Ave dulcissimum Cor Jesu, inflammatum amore erga filios hominum!

Κοντάκιον ι'.

Ecce nunc os ex ossibus tuis, et caro de carne tua existentes[1]), ponimus te ut signaculum super cor nostrum, et ut signaculum super brachium nostrum[2]) canentes infinito amori tuo Alleluja.

Οἶκος ι'.

Primitias acquisitionis tuae, super omnes dilectam tibi matrem, stantem sub cruce tua, dedisti in matrem nobis indignis famulis tuis, Salvator noster, et vulnerasti eam dolore incomprehensibili; haec enim amplectens immaculatum tuum corpus de cruce depositum, flebat

---

[1]) Ephes. V. 30.

[2]) Cantic.

amare, sicut olim Jacob de Joseph. Quapropter tantum amorem Cordis tui in nos concelebrantes clamamus:

Ave Cor Jesu, matrem tuam in mare dolorum pro nobis immergens!

Ave Cor Jesu, matris tuae dulcissima sollicitudine nos muniens!

Ave Cor Jesu, te ipsum et omnia tua pro nobis sacrificans!

Ave dulcissimum Cor Jesu, inflammatum amore erga filios hominum!

Κοντάκιον ια΄.

Videntes te, Jesu, depositum de cruce, mortuum, et innumeris plagis propter nos vulneratum, in sepulchro autem positum, admirantes clamamus: Videte, quantum dilexerit nos! et investigabilem amorem Cordis tui commemorantes, canimus tibi epitaphium hymnum Alleluja.

Οἶκος ια΄.

Post resurrectionem tuam, pastor misericordissime Jesu, non rejecisti oves tui dilecti gregis, sed, quamvis deseruerint te tempore passionis, iterum in mansuetudine Cordis tui collegisti eas; et promittens te nobiscum futurum esse usque ad consummationem saeculi, ascendisti in coelum, ut ibidem ostendens vulnera tua Patri tuo coelesti, interpelles pro nobis.

Sigillans autem amorem tuum missione in nos Spiritus s. Paracleti, traxisti omnia ad te ipsum. Quapropter directi eodem Spiritu s. tuo, beatificamus ineffabilem amorem Cordis tui canentes.

Ave Cor Jesu, dulcedo in nostris tribulationibus!

Ave Cor Jesu, audacia in nostris periculis!

Ave Cor Jesu, robur in nostris luctis!

Ave dulcississium Cor Jesu, inflammatum amore erga filios hominum!

Κοντάκιον ιβ'.

Non Moyses famulus Dei cum Maria, sed ipse Deus verus una cum immaculata tua matre, egressus es in salutem nostram, Christe, et percutiens virga crucis intelligibilem Pharaonem, expedivisti nos in terram promissionis coelestem, canentes amori Cordis tui triumphalem hymnum Alleluja.

Οἶκος ιβ'.

Tamquam aquila protexit nidum suum, et super pullos suos desideravit, et expandens alas suas suscepit eos, et assumpsit eos super scapulas suas[1]): ita et tu, Jesu, transeuntes nos per desertum hujus mundi erga terram promissionis meliorem, suscepisti sub alas tuae dulcis

---

[1]) Deuteron. 32. 11.

providentiae, et desiderasti super nos: nutris nos immaculata tua carne ac pretioso tuo sanguine, atque nube sanctissimi tui Spiritus illuminas nos in nocte ignorantiae, et refrigeras nos in die aestus omnigenorum gravaminum. Idcirco superextollentes infinitum amorem Cordis tui erga nos, cum amore canimus ei:

Ave Cor Jesu, a mortifero veneno serpentis antiqui nos sanans!

Ave Cor Jesu, in bellis nostris pro nobis praevalens!

Ave Cor Jesu, sicut scuto bonae voluntatis tuae nos coronans!

Ave dulcissimum Cor Jesu, inflammatum amore erga filios hominum!

Κοντάκιον ιγ'.

Oh omnimodis celebrandum Cor, paradise voluptatum coelestium, locus requiei! In te fructus vitae aeternae, in te fons aquarum viventium. Aperi nobis sinum tuum laborantibus et oneratis, ut in eo reficiamur, et canamus tibi Alleluja.

Εὐχή.	Oratio.
Τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν.	Dominum precemur.

Dominator misericordissime Domine Jesu Christe Deus noster, quid retribuemus tibi pro tanto amore Cordis tui, quo nos coronasti? Fate-

mur quod omnes nos acquisiti a te inenarrabilibus laboribus et agonibus, denique et pretioso tuo sanguine, tenemur honestate vitae nostrae reddere tibi amorem pro amore. Sed, oh oblivionem, oh insensibilitatem et malitiam cordium nostrorum, qui in siti Cordis tui de salute nostra, potamus te rursus aceto et felle incuriae et iniquitatum nostrarum! Verum quia novissimis his temporibus infidelitatis et corruptelae morum dignatus es revelare nobis in manu beatae famulae tuae Margaritae divitias tui flammei, vulnerati, spinis coronati, et cruce desuper efflorescente distincti Cordis, et quia promisisti te non amplius positurum mensuram in distributione gratiarum tuarum coelestium omnibus recurrentibus ad illud:[1]) ideo animati tanta condescendentia et humanitate tua, cum fiducia ac devotione accedimus ad sacratissimum Cor tuum, ad hunc thronum superabundantis gratiae Dei, et oramus et deprecamur et supplicamus: converte precibus immaculatae matris tuae teporem nostri cordis in ferventem amorem, sicut olim in Cana Galilaeae aquam in praestans

---

[1]) Quomodo fideles ritibus orientalis ecclesiae addicti novis decretalibus pontificiis circa beatificationem et canonizationem servorum Dei attingantur, explicatum videsis in cit. op. „De festis utr. SS. C.“ t. 1, p. 487, ubi etiam memoratae promissiones ritui graeco accommodatae leguntur.

vinum; contere Spiritu s. tuo corda nostra, dona nobis lacrimas poenitentiae et compunctionis, et dimissis iniquitatibus nostris, largire nobis constantem emendationem vitae, ut in amore tuo vitam agamus, in amore tuo moriamur, et in amore tuo fruamur visione et amore consummato S. Trinitatis una cum Sanctis tuis in infinita saecula. Amen.

Oratio ante imaginem crucifixi dicenda.

En ego, o bone et dulcissime Jesu, ante conspectum tuum genibus me provolvo ac maximo animi ardore te oro atque obtestor, ut meum in cor vividos fidei, spei et caritatis sensus, atque veram peccatorum meorum poenitentiam, eaque emendandi firmissimam voluntatem velis imprimere: dum magno animi affectu et dolore tua quinque vulnera mecum ipse considero, ac mente contemplor, illud prae oculis habens, quod jam in ore ponebat tuo David Propheta de te, o bone Jesu: Foderunt manus meas et pedes meos dinumeraverunt omnia ossa mea. Ps. 21.

Index.

Pag.

Praemonitum 3
De objecto cultus SS. Cordis Jesu 5

Selecta pietatis exercitia.

Recentiores orationes Romanae 26
Formula consecrationis mundi ad SS. Cor Jesu 29
Aspirationes ad SS. Cor Jesu 30
Actus consecrationis, formula communis 31
Actus consecrationis, formula brevior 32
Actus consecrationis, formula a clero recitanda . 33
Aspirationes 35
Oratio ad obtinendam devotionem erga SS. Cor . 35
Officium parvum SS. Cordis Jesu 35
Rhythmus ad SS. Cor Jesu 46
Novem officia amoris erga SS. Cor Jesu . . . 47
Litaniae de SS. Corde Jesu 54
Deprecatio injuriarum, formula communis . . . 56
Deprecatio injuriarum, formula brevior 67
Preces sodalitiae theologorum Oenipontanorum . 70
Litaniae D. N. J. Ch. sacerdotis et victimae . 71
Exercitium Viae Crucis 75

Pag.
Conditiones Viae Crucis 75
Preces Stationum 77
Oratio de passione Domini ex Rit. Rom. . . . 81
Commendatio sui ad B. M. V. 82
Preces pro Summo Pontifice 82
Promissa Christi Domini 84
Rescriptum S. Cong. Indulg. de probata formula rectae intentionis 87
Formula rectae intentionis 88
Intentiones Breviarii 89
Appendix ex ritu graeco; Acathistos SS. Cordi Jesu 92
Oratio ante imaginem crucifixi dicenda . . . 109

244.53
N598

47804

NILLES, S. J., NICOLAUS

AUTHOR

Varia Pietatis Exercitia Erga

TITLE

Sacratissimum Cor Jesu.

DATE LOANED	BORROWER'S NAME
	STORAGE - CBPI

47804